Sn — 27

nº — 19

DE PHILOSOPHIAE ET IVRIS CIVILIS INTER SE COMPARATIONE.

AD CHRISTOPHORVM MADRVTIVM CARDINALEM AMPLISSIMVM

VBERTI FOLIETAE LIBRI TRES.



ROMAE IN AEDIBVS ANTONII BLADI.

M. D. LV.

Antonij Vaccæ.

Dum decus arboribus Diuum sibi quisq; legendis
  Conspicuo ducti frondis honore petunt,
Iure Minerua oleæ fructumq; vsumq; secuta
  Ab summo sapiens filia dicta Ioue est.
Tu Folieta artes animum dum voluis in omnes
  Ius merito præfers, præcipuumq; putas,
Sub cuius tutela homines seruantur & Vrbes;
  Quis neget hanc alijs artibus esse caput?

DE PHILOSOPHIAE ET IVRIS CIVILIS INTER SE COMPARATIONE.

AD CHRISTOPHORVM MADRVTIVM CARDINALEM AMPLISSIMVM

VBERTI FOLIETAE LIB. PRIMVS.

SAEPE mihi cogitanti communi naturæ impulſu fieri, ut omnes homines in ijs ſemper artibus atq; ſtudijs elaborent, ex quibus ſibi ad honores et dignitatem gradum fieri intelligant; eaſq; res apud omnes populos; omnibuſq; ætatibus in primis uiguiſſe; atq; hominum ſtudia ad ſeſe attraxiße, quibus eßent ampliſſima et ad gratiam, & ad opes; & ad honores propoſita premia; contra eas ſumma in hominum cõtemptione ſemper iacuiſſe, quæ ad eaſdem res nullam uiam hominibus comunirent; ut iam prouerbij locum obtineat, artes, atq; ſtudia honore ali atq; augeri; mirum uideri ſolet Christophore Madruti, quid ſit, quòd cum noſtris temporibus tanta ſint ad ſummos omnium honorum gradus conſequendos in iure Ciuili poſita præſidia, quippe quòd in eius moderatione res humanæ magna ferè ex parte uerſentur, complures tamen ſint, qui ad Philoſophiæ ſtudium ſe conferant; atq; in eo operam, diligentiam ac laborem ſuum collocandum putent; nonnulli etiam ijq; non indocti longe iniuſtiores iuuentutis etiam ſtudia a iure ciuili auocare &

ad Philosophiam transferre contendant, in qua uel nullus, uel certe perexiguus ad honores, & ad Reipub. administrationem aditus sit. Ac ne illud quidem dici potest, cum reliquæ disciplinæ certa ratione, ac uia traditæ sint; politosq; scriptores & elegantes habeant; quæ res hominum ingenia tanquam illecebra quadam ad se allicere soleat, hac laude iuris ciuilis scientiam carere. Etenim siquis libros, qui Pandecta inscribuntur, omnes euoluat, facile cognoscet nullam unquam artem ac doctrinam aut certiore ratione, magisq; ex ordine traditam; aut subtilius, elegantiusq; tractatam; aut politiore scribendi genere literis esse mandatam. Quos uero impolita interpretum scripta; confusaq; illa (ut aiunt) sine ullo certo ordine disputandi ratio offendit, ij mihi iniuste facere uidentur, qui ex communi cæterarum disciplinarum interpretum uitio iurisperitis priuatam inuidiam quærant. neq; enim minus incondito; minus ue barbaro scribendi genere recentioribus temporibus reliqua sunt doctrinæ studia celebrata. Nam quod ad rationem, atq; ordinem docendi attinet, qui iurisperitos in ea re accusant, eos certe scio libros ueterum interpretum nunquã in manus sumpsisse; in quibus omnia ita apte distincta; eam omnium rerum seriem inuenient, ut aliæ ex alijs miro ordine uideantur annexæ. Atq; ea cũ ita sint, plurimi tamen (ut dixi) ijq; in primis, qui Philosophiæ se dediderunt, ab hoc studio ita abhorrent, ut neq; premiorum spe, quæ illi proposita uideant amplissima, commoti; neq; Reipublicæ gerendæ dignitate, cuius administrationem totam ferè iurisperitis cessisse intelligãt, ducti, animum inducere possint, ut aliquam partẽ operæ aut studij sui Philosophiæ detrahãt; & ad ciuile ius conferant;

quin cōtra in quotidianis sermonibus hoc studium exagitāt; multisq; nominibus inuidia onerare nituntur; inanis scilicet Philosophiæ nominis splendore magis capti, quàm uberrimo iuris ciuilis fructu inuitati. Quorum maledictis, plenisq; aspe ritatis uerbis, aliquando nobis respondendū fuit; docendumq; ius ciuile multis partibus, magnoq; dignitatis interuallo Philosophiæ præstare, quod satis abunde in his libris fecisse nos arbitramur; in quibus, quæ de hac re inter doctos uiros, quorū nos sermonibus interfuimus, fuerūt disputata, diligētissime sumus persecuti. Cui etiam adiunximus nonnulla de legum dignitate, tum quia ea res in eorundem hominum eiusdemq; diei disputatione uersata est, tum quia non modo non aliena uisa est ab instituto nostro sermone, sed ab eodē summopere postulari; ut qua disputatione ius ciuile Philosophiæ esset prælatum, eadem legū dignitas explicaretur. Atq; ego credo aliquos fore, qui statim ipsa librorum nostrorum inscriptione nos reprehendāt, cum dixerint Philosophiæ studium non in una aliqua re separatim, sed in omnibus diuinis et humanis rebus inuestigatione & disputatione tractandis positum esse; neq; de naturæ tantum causis, sed omnibus præterea ciuilibus rebus quærere; latissimeq; disserere. Quo fieri ut ipsum iuris ciuilis studium eius Philosophiæ quæ ad res ciuiles pertinent, pars quædam sit; illiq; tanquam species sit subiuncta, ut non recte inter hæc duo studia, cum genus & species sint, tanquam res inter se diuersas sit a nobis comparatio suscepta. Quibus hominibus facile respondeo. Neq; enim is sum, qui cum nihil aliud sit Philosophia, quàm sapientiæ studium, præclarum hoc nomen iurisconsultis, quibus id in primis conuenit, inuideam; cum præsertim iuriscon

sulti nonnullis in locis se ipsi Philosophos uocent; ueramq́; Philosophiam se sequi profiteantur, sed communem quotidiani sermonis usum, qui in rebus nominandis in primis est spectandus, potius quàm rem ipsam in inscriptione secutus sum. Nam cum duo studiorum genera & nostra & maiorum nostrorum ætate tota Europa uigeat, quorum alterum in rebus Diuinis & cœlestibus, omnibusq́; naturæ causis quærendis et explicandis uersetur, tum præterea de moribus hominum, uitæq́; institutis, ac cæteris rebus ciuilibus multa disputet, ac doceat; studiumq́; hoc uulgo Philosophiam uocent; Alterum eam tantum partem ciuilis doctrinæ sibi tractandam & excolendam susceperit, quæ tota forensis est et iudicialis; in iusto, q́; & iniusto, iure & iniuria cognoscendis; ciuilibusq́; controuersiis constituendis sit occupatum, quod studium ius ciuile uocant; Horumq́; duorum studiorum cũ publica sint ubiq; & separata gymnasia; quiq; alterum profitentur, in eoq́; excellunt, ij alterius ferè sint expertes, illa est propositi nostri ratio, ut superioris studij, quod Philosophia uocatur, quodq́; duplex est, eam partem, quæ de naturæ causis; cœlestibusq́; rebus quærit, rem planè futilem & inanem; neq; præclaro uiro dignam; totamq́; abijciendam esse demonstremus; In altera uero, quæ ad mores & ciuilem uitam pertinet longe elegantius atq; præclarius, maioreq́; cum hominum utilitate eos qui iurisconsulti nominãtur, esse uersatos cõtendamus, quàm qui specioso hoc Philosophiæ nomine studium suum commendare nituntur; maioraq́; nos adiumenta ad Rempublicam gerendam habere a iurisconsultorum libris, magisq́; idoneos fieri ad res ciuiles tractandas, quàm a Philosophis; longeq́; præclarius fuisse unam tantum ciuilium rerum partem: hoc

est iudicialem, quæ latissime tamen pateat; in cæterasq; ferè omnes Reipublicæ partes utilitate sua influat, tractandā et poliendam suscepisse; eamq; perfectissima arte absoluisse, & ad usus hominum egregie accommodasse, quàm omnes Reipublicæ partes multis disputationibus attigisse; in ijsq; multa turbasse; nihil tamen perfecte, neq; quod ad actionem ferè transferri possit, ut docebimus, tradidisse. Ex quibus rebus perspicuum esse arbitramur; nihil impedire, quominus hoc iuris ciuilis studium sic, ut diximus, tractatum, quanuis pars Philosophiæ sit; illi studio, quod hoc Philosophiæ nomen iam sibi uindicauit, ut illud nos accepimus, tanquam rei saltē diuersæ tractatione recte possit comparari, atq; (si modo tantum dicendo ac disputando consequi poterimus) anteferri. Hos autem libros ad te Christophore Madruti potissimum misi, quod existimaui hoc nostrum munus pro singulari tua in Ius Ciuile & Pontificium Studio non iniucundum fore. Cuius Iuris scientiam ad cæteras singulares atq; eximias uirtutes tuas ideo adiunxisti, quod intelligeres magno tibi adiumento illam fore ad plurimas atq; grauissimas Christianæ Reipublicæ partes, quas tibi a primis temporibus adolescentiæ tuæ a Romanis Pontificibus atq; a Cæsare impositas magna cum ingenij & fidei laude sustinuisti. Hortata est præterea summa nominis tui auctoritas, quam tibi tribuit cum clarissimi generis splendor, tum innumerabilia uirtutis ornamenta, animusq; cum magnus & excelsus tum etiam simplex & apertus nullaq; simulatione infuscatus; In primis uero summa illa liberalitatis commendatio, quauirtute ita te constat excellere, ut siue officijs, siue amplissimarum opum largitione de hominibus assidue beneme-

rendo neminem ex principibus ætatis nostræ tecum possimus conferre. Atque ego in hoc munere meo ponderando, nihil te uolo, uel meæ in te obseruantiæ, uel tuæ humanitati dare; sed perinde ut de illo existimabis, eo numero habeas. In studio uero meo, quo illud ad te misi, complectendo; non ex eo quantum ipsum faciendum sit, sed ex tua humanitate statuas oro.

CVM igitur Perusia, in qua Vrbe nonnullos annos iuris Ciuilis perdiscendi causa fueram cõmoratus, Romã rediissem, Vir amplissimus Ioannes Moronus Cardinalis me in suburbanum Medicæum ad prandium inuitauit. Venerunt eodẽ Moroni quoq; inuitatu Ioannes Baptista Sighicellus uir cum omni eleganti doctrina perpolitus tũ magnis in Philosophia progressibus; Et Antonius Gallesius uir cum singulari iuris sciẽtia eximiaq; scribendi facultate præditus, tum in causis defendendis tanta cum gloria diu uersatus, ut nullius hominis nomen in foro Romano clarius esset. Quem in locum cum bene mane conuenissemus; Quoniam (inquit Moronus) liber mihi hic dies a publicis negotijs datus est, nihil potius existimaui, quàm ut eum cum hominibus mihi carissimis, quorum conspectus et cõsuetudo mihi iucundissima semper fuisset, consumerem. Itaq; rogo omnes uos, ut si aliquid noui habetis dignum auribus et sermonibus nostris, me participem faciatis. Etenim cum iam diu literarum studia mihi intermissa sint propter negotiorum multitudinem, qua quotidie obruor, nihil facio libẽtius, quàm, cum aliquam horã eripere possum, eamq; cum doctis uiris, mihiq; aliqua necessitudine coniunctis in aliquod rei literariæ colloquium imsumere; in eaq; re permagnã animi relaxationem sentio inesse.

Quare ut a te Folieta incipiam, ecquid habes, quod nobis ostẽdas? De quibus (inquam) rebus? De tuis (inquit ille) scriptis, ut audio neminem te in stilo exercendo magis assiduũ esse. Hic Sighicellus, noli inquit, Morone tale quicquam a Folieta posthac iam expectare, quem constat omnibus liberalibus studijs plurimam salutem dixisse. Tum Moronus male hercule narras. ita ne uero facere oportet Folieta? Tum ego. Quid sibi (inquam) uelit Sighicellus ipsum rogare oportet.. Nam mihi quidem talem mentem nunquam arbitror immissuros Deos. Tum Sighicellus. An non tibi Morone politioribus studijs & omni eleganti doctrinæ renuntiasse uidetur Folieta, qui se a Philosophia ad ius ciuile contulerit? Cuius equidem rationem non satis queo mirari, qui cum in eloquentiæ studijs eos iam progressus habeat, ut eius genus scribendi & copiam, ac facilitatem omnes probent; eloquentia uero nisi subsit res, inanis quædam (ut inquit Cicero) sit uolubilitas uerborum, & Horatius.

Scribendi recte, sapere est principium & fons.

Rerum porrò doctrinam Philosophia tantum tradat, ut idem Poeta ait.

Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere cartæ.

Quare efficiatur ut eloquentiæ mater sit Philosophia; Ciceróq; ipse eloquentium antistes fateatur se oratorem ex amplissimis Academiæ spatijs extitisse, ipse mutata subito uoluntate, Philosophiam in qua iam satis processerat, cũ iure ciuili commutarit. quã si ad eloquentiæ studia adiunxisset, magnũ quoddam & præclarum ab eo expectandum fuisset, ut amicissimi hominis uicem satis dolere non possim, qui tantam gloriam sibi ipse inuiderit. Nam ad me conuersus quid (in-

quit) secutus es Folieta in iure ciuili Philosophiæ præferendo: eruditionem ne, an dignitatem, an delectationem? Nanque hæ ferè res hominum studia ad se se attrahere solent. nam quod ad emolumentum et quæstum attinet, nunquam tu mihi in eo numero fuisti, ut te tam sordida res, sicut multos uidemus a laudis & gloriæ studijs posset abducere. Quam uerò eruditionem petes, a uiris, qui omnis eruditionis prorsus ipsi sint expertes? siue enim de iuris ipsis consultis loquamur; Ciues Romani fuerũt, nullis (ut tute nosti) Græcis artibus eruditi, nulla elegãti doctrina perpoliti; siue de iuris interpretibus, Quid ijs hominibus fieri potest inscitius, aut ineruditius; qui nullam diuidendi aut ratiocinandi artem teneant, sed omnia confuse ac barbara quadam scribendi ratione tradant? Dignitatem uero legum magnam esse negare non possum, sed ab ea hoc iuris Ciuilis studiũ, scientiamque seiungo; quod grauibus rebus, quæ legibus in primis sunt propositæ, neglectis, totum in minima, eaque obscurissima legum parte explicanda, hoc est in hominum contractibus regendis ferè sit occupatũ; eosque pro re subiecta habeat. Nam cum sæpe iuris ciuilis Gymnasia ingressus essem, ibique legum interpretes studiose audirem de stipulationibus, de mutuis, de depositis, de hæreditatibus, de possessionibus, deque cæteris rebus, quæ ad priuatas cõtrouersias pertinent, nimia fortasse subtilitate illos quidẽ disputantes audiebã; de hominum uero moribus, de uirtutibus, de Ciuitatis tranquillitate, de bello, de pace, deque alijs grauibus rebus, quibus Respublicæ cõtinentur, nullam ab ijs quæstionem attingi uidebam. Itaque magna admiratione correptus, quæsiui e multis, num quo alio anni tẽpore ea explanarentur, quæ ad optimum ciuitatis statum tuendum, atque conseruandũ

seruandum essent accõmodata. a quibus illud pro responso abstuli; ut partim ea, quæ dicerem, non intelligi ab ys anima aduerterem; partim etiam succenserent, quod illorum studiũ me irrisum uenisse dicerent. Itaq; quæ dignitas in tam humili re inesse potest? Delectationem uero quam habere potest tanta de rebus præsertim tam exilibus, tamq; infinita librorũ multitudo nulla arte, nulla eleganti ratione conscriptorum? in quibus ita confuse, ita impolite, ita barbare infinita inculcantur, ita quæstiones quæstionibus cumulantur, ut fastidio, ac satietate defatigata omnia liberalia ingenia, a tam illiberali labore exantlando abalienentur. Et hercule neminem adhuc reperi qui negaret studium istud uestrum laboris potius esse & satietatis, quàm ingenij aut delectationis. At enim nulla istarum rerum ad ius ciuile Philosophiæ anteponẽdum es impulsus; sed alicuius grauis uiri tantum apud te ualuit auctoritas, ut consilium mutares. Equidem credo neminem tam stupido ingenio natum, qui cum quæ ab utroq; studio tradantur, cognouerit, ius ciuile Philosophiæ anteferendum putet. sed tamen quoniam nulla res est tam perdita, quæ non habeat sectatores, nullum te hominem pro iure ciuili nominaturum arbitror, cui non sexcentos pro nobis possimus opponere. In quibus eum, quem tu omuium maxime miraris, quem unum ex omnibus, quorum literarum & ingenij monumenta extent, ad ciuiles res gerendas in primis natum dicis; quem omniũ hominum, qui unquam fuerint, iure eloquentissimum appellas; cuius tu iudicio tantum tribuis; tuum inquam M. T. Ciceronem. quam enim operæ, uel studij partem legimus summum uirum in iuris ciuilis captiosa subtilitate perdiscenda posuisse? Nullam sanè. quippe a quo studio nulla instrumen

ta se habere posse intelligeret, ad magnas, præclarasq; Reipublicæ partes sustinendas; quin contra scientiam iuriscōsultorum asperis facetijs sæpe perstringit; multis etiam locis eius studij inanitatē declarat, ut in illa oratione pro. L. Murena, in qua se triduo iurisconsultum fore profitetur. Philosophiæ uero cui etiam, ut diximus, dicendi copiam se debere cōfitetur, quanto studio Dij immortales tenebatur, quam omnē in re præclarissima uacuam operam a Republica, forēsibusq; muneribus ponebat? Quantis illam, quamq; diuinis laudibus pluribus locis ornauit? ut interdum illam uitæ Ducem, Vrbiū conditricem, humanitatisq; penè effectricem appellet. Itaq; quod sæpe mecum facere cōstitui, ut aliqua amicitiæ nostræ, singularisq; meæ in te beneuolentiæ super hac re monitio ad te perueniret, nunc Morono præsente non prætermittam, Vt si in te ab incepto reuocando paruum sit rationum, quas attuli, momentum; huius saltem, quam scio apud te ualere plurimum, te moueat auctoritas. Eam enim Folieta in arte dicēdi expectationem tui concitasti, ut illi nō respondere summæ futurum sit turpitudinis. hoc autem cum (ut diximus) una præstare possit Philosophia, a qua res quibus uerba innituntur sunt petendæ, intelligis opinor, si ad alia te studia contuleris, fundamenta eloquentiæ te tibi planè subducturum. Quare nisi summam ignauiæ infamiam nomini tuo cōflare uis, quod concitatam eloquentiæ expectationem non sustinueris, opera, quā per hos annos Iuri Ciuili dedisti, Tibi est iterū Philosophiæ reddēda. Nam quod tuum istud consilium fuit, cū tantū iā in Philosophiæ studijs progressus esses, ut te laboris in ea suscepti minime deberet pænitere, repente ad nouum studiū plenum laboris te conferre, cū non paucos sciamus præclaris-

ſimis ingenijs uiros & noſtra & maiorum ætate cum pueri ad ius ciuile uel a parentibus, uel ab ætatis inſcitia delati fuiſſent, inſtitutum in eo ſtudium ad extremum perducere non potuiſſe, ſed confirmatiore ætate, cum de rebus exiſtimare potuerunt, nullius dignitatis, nulliusq; ingenij; plurimi cõtra laboris, multæq; ſatietatis ſtudium reliquiſſe; & ad hæc liberalia, quæ tu deſeruiſti, operam & induſtriam ſuam tranſtuliſſe. In quibus apud maiores noſtros fuit Hetruſcorum poetarum longe nobiliſſimus Franciſcus Petrarca. Apud nos uero ut innumeros alios omittam Ludouicus Arioſtus & Chriſtophorus Longolius. Quorum auctoritate ita Folieta permoueri debuiſti, ut ſi totam ætatem tuam in iuris ciuilis ſtudio poſuiſſes, tamen ingenij ſimilitudo te ad easdem artes, quas illi omiſſo eo ſtudio ſecuti ſunt, allicere debuiſſet, ne dum tu debeas nunc liberalibus artibus neglectis, in quibus ad hanc ætatem es uerſatus, te ad illud ſtudium, quod illi ſpreuerunt, conuertere; ſperatamq; atq; adeo quã in manibus habes, gloriam relinquere. Hic Moronus arriſit, uultuq; non tam ſignificauit ſe Sighicello aſſentiri, quàm cupere rationem conſilij mei de me cognoſcere. Tum Ego. Multa tu quidem ſigna mihi ſæpenumero dediſti Sighicelle egregiæ tuæ in me uolũtatis, cuius memoriam perpetua beneuolentia mihi uiciſſim colendam intelligo, ſed nulla unquam maiora, quàm duo nũc in hac oratione tua. alterum fuit ſingularis amoris plena admonitio cum leni obiurgatione coniuncta; in quo non poſſum non mirifice amare tuam iſtam de mea laude ſolicitudinem, de qua uideam te tantopere laborare. alterum, quòd tã præclarum iudicium de me feceris. Incredibilis enim cuiusdam amoris fuit, ea de me coniectura tua augurari; ad quæ præ-

clarissima ingenia, eáq; perraro aspirare uix possint, ne dum ea de me quisquam audeat sperare. In qua re illud magnopere a te peto; ne amoris abundantia ita prouehare, ut cum posthac tibi de me apud quos uis sermo fuerit illatus, non aliquem mei laudandi modum facias. Nam ut apud hos amicissimos homines nihil mihi nocere potest oratio tua, ita periculosa est mihi apud alios (quod te planè intelligere credo) tua ista immoderata de me prædicatio. Etenim si illud mihi expectationis onus oratio tua imponet, quod uires meæ ferre non possint, nemo iudicium tuum accusabit si expectationi non respondero, sed omnes inertiam meam uituperabunt. Atq; ut admonitioni tuæ respondeam; & primum extremæ parti; quæ me maxime commouit, tibiq; & Morono consilium meum exponam (Nam Gallesius non modo non est contra me, sed mihi etiam auctor & suasor fuit) Equidem existimabã me sæpe tibi narrasse quemadmodum a prima adolescentia iuri ciuili, ad quod studium me a Natura ferri sentiebam, plurimum tribuerim & operæ & temporis, a quo non uoluntatis aut consilij mutatio, non satietas, aut fastidium, non illiberalis laboris (ut multi dicunt) exantlatio me abduxerunt; sed uarij casus tibi non ignoti; quibus adolescẽtia mea exercita est, multasq; peregrinationes coacta suscipere, inuitum abstraxerunt. In quibus tamen nunquam illud studium ita deposui, ut si non in publicis Gymnasijs at saltem priuatim domi nõ aliquid semper succisiuæ operæ darem, tantum certe ne quæ in scholis didiceram, obliuiscerer, neu labor, studiumq; meum planè periret. Itaq; re mea familiari aliqua ex parte constituta, quid potius mihi faciendum fuit, quàm ut ad studiũ meũ

redirem, interruptamq; operam in eo contexerem? Quod uero aliquid studij atq; temporis in Philosophia etiam posuerim, id nullam mihi necessitatem in ea progrediendi debet imponere. neq; enim illud unquam mihi fuit propositum, ut in ea magnum aliquid assequerer, sed tantum id egi, ut ea quæ in eo studio tractantur, summatim cognoscerem quod cum fecissem non ea mihi uisa sunt, quæ iuris ciuilis studio anteponerem. Cui, qui operam dant, miror eos uideri tibi (ut initio orationis tuæ dixisti) liberalibus artibus salutem dixisse. neq; enim uideo istam Ciuili Iuri cum liberalibus studijs distractionem. Qui enim minus iuris ciuilis peritus cognoscere possit quæ a Rhetoribus, a Dialecticis, a Mathematicis traduntur, quàm eius ignarus? Nã quòd eloquentiæ matrem Philosophiam fecisti, bene longam, plenamq; controuersiæ ea res disputationem habet. sed quid attinet eam quæstionem nunc attingere; cum in oratorum locum multis iam seculis toto ferè orbe terrarũ iuris periti sint suffecti? ut qui a iure ciuili adolescentes auocant; ij mihi ab eloquentiæ gloria eos reuocare uideantur. In quo perdiscendo rogabas quid essem secutus, eruditionemne, an dignitatem, an delectationem? Omnia hæc tibi respondeo me secutum esse; & quidem maxima. An tibi parua uidetur eruditio, de omnibus ferè rebus, quæcunq; in hominum controuersiam cadunt, qua re nihil est, quod latius pateat, ius tenere; easq; dijudicandi & ad exitum perducendi exploratam rationem habere perceptam? Ciues Romani fuerunt (ut dicebas) nullis græcis artibus eruditi, qui ea tradiderunt. at Romanis artibus (quod mihi longe est maius) in primis exculti fuerunt. Qui ea interpretantur, impolite nullaq; eleganti ratione scri-

pſerunt. Quid? qui Philoſophorum ſcripta & ſacras literas interpretantur, in maiore bene, ornateq́; ſcribendi laude uerſantur? utrorumq́; libros lege; dices in eodem eos ludo ſcribere didiciſſe. ut iniquitatis ſit non ferendæ in communi interpretum uitio priuatam iniuriam iuris interpretibus uelle conflare. Nam quod ad dignitatem attinet, ſcio multos finium regundorum, iudiciorum, & actionum formularum, uerborum conceptionum, ſtillicidiorum & eiusmodi rerũ nomine ius ciuile premere ſolere, qui mihi iniuſte facere uidentur, & parum acutè in rebus perſpicere. Nam quod tria aut quatuor uerba, quæ parum dignitatis habere uideantur, ad totius iuris ciuilis inuidiam arripiant, iniuſti; quod non intelligant in eiusmodi rerum doctrina non minus Regnorum & Prouinciarum dijudicationem, quàm aquæ pluuiæ et ſtillicidiorum in eſſe, tardi in perſpiciendo ſunt. An tibi non uidetur magnam habere dignitatem, nullam apud homines cõtrouerſiam ferè exiſtere, ſiue illa de magna, ſiue de parua re ſit quæ ſine iurisperito diſceptari aut tranſigi poſſit? Cuius iuris ſit Inſubriæ Regnum quæritur. Iurisperitis explanandum eſt. Vtrum rite ſit concilium indictum; utrum recte Tridento Bononiam translatum, an non conſulendi ſunt iurisperiti? Regnum Hiſpaniæ ſitne Ferdinandi iure ſanguinis, an dotali ab Eliſabeta, magna apud Principes Hiſpanos diſſenſio; ea iurisperitis diſceptatoribus tolletur. ut appareat grauiſſimam Reipublicæ partem, latiſſimeq́; patentem, a iurisperitis geri, ac temperari. Nam quod delectationis mentionem ad extremum feciſti; Equidem arbitrabar in gloriæ ſtudijs non uoluptatem quæri, ſed laborem adiri. Etenim.

Qui cupit optatam curſu contingere metam,

Multa tulit, fecitq; puer, sudauit & alsit.

Neq; enim in re militari administranda Imperator ulla uoluptate ducitur. longe enim iucundius est, atq; suauius in umbra & in rosa, atq; in puellarum cœtibus, iocis, conuiuiis, cantibus hilaritatis plenos dies traducere, quàm in solem, in puluerem, in aciem exire; manum conserere; in uulneribus; in sanguine; in cædibus; in assiduo uitæ discrimine periculóq; uersari. At in superiori uita infamiæ & dedecoris plena nullum unquam summũ uirum diu uoluptas retinuit; ab hac immortalis gloriæ parẽte, nullus unq̃; uel labor, uel sudor, uel sudor, uel periculum magnos uiros deterruit. quare nolim mihi in iuris ciuilis studio ponderando delectationem obijci; quæ in magnis rebus uel nullum, uel certe perexiguum momentũ habere debet. quanquam ne hoc quidem sic sine controuersia potest abire. neq; enim cum rationem gignendorum fulgurũ, aut ortus nimborum, aut uentorum aut alterius eiusmodi rei cognouissem (si modo aliquid in Philosophia scientia comprehenditur, ac non omnia potius in dubia quadam coniectura posita sunt) maiorem me capere uoluptatem unquam sensi, quàm cum præclaram aliquam, maximéq; implicatam quæstionem summa subtilitate disputatam, optimáq; ratione explicatam, a Iurisconsulto disco. Quod uero ingeniosorum doctorumq; hominum auctoritate me a iure ciuili abduci debuisse dixisti, Ciceronisq; in primis, tantum ab est, ut ea ratione commotus sim, ut nihil magis a me esse existimem, Cicero néq; ipso iudice superiorem me futurum non dubitem. Nam cum tres omnino artes ac studia essent apud Romanos, ut testes sunt historiæ, quas uiri clarissimi ac sapientissimi a Republica instituta ad eandem euersam semper dignas statuis-

ſent, in quibus elaborarent, res militaris, ars dicendi & iuris ciuilis ſcientia; quiq; in ijs artibus reliquis præſtarent, ad eos Romani adoleſcentes ſe conferrent, ijsq; ſe ſe in diſciplinam darent, quæ ſolæ ſibi ad honores, ad imperium, ad Rempublicam gerendam iter munirent, non poterat unus uir (quæ eſt & humani ingenij imbecillitas; & hominum uitæ breue ſpatium; & ſingularum harum artium longa perdifficilisq; cognitio) in pluribus idem excellere. Itaq; reliquis duobus nõ neglectis, ſed omiſſis, uni ſe ſtudio, ad quod ſe magis natum ntelligebat, tantum dabat; in eo omnes curas, cogitationes, uigilias, diligentiam ſuam collocabat; neq; qui in una arte ad ſumma perueniebat, is in altera claros atq; præſtantes deſpiciebat. cuius enim ſtultitiæ fuiſset uel clarum Imperatorem a ſummo oratore deſpici; uel ab eximio iuriſconſulto præſtantem oratorem ſperni; cum omnium iſtorum opera Reſpublica indigeret? Itaq; cum heæ tria ſtudia propria Romanorum ſemper fuerint; in ſingulisq; tantum ſinguli clari extiterint non eſt mirandum ſi M. Tullius cum in dicendo Princeps fuerit, atq; ita Princeps, ut non ſuæ modo ætatis homines, ſed omnes etiam quicunq; Romæ ante illum fuiſſent, uel eum conſecuti ſint, longo interuallo ſuperarit, nullam partẽ uel diligentiæ uel ſtudij ſui eloquentiæ, cuius gloriæ amore ardentiſſimo flagraret, detraxit, atq; ad ius ciuile contulit, ſed omnem operam ſuam uni rei integram reſeruauit, ne ancipiti duarũ rerum ſtudio diſtractus, neutram perfecte aſsequeretur.

Neq; ullo modo ſuſcipiendũ eſt, quod uir clariſſimus propter multiplicem (ut dixi) cognitionem, aſsequi non poterat, id illum perſequi propter humilitatem dedignatum; neq; rei difficultas in contemptionem eſt uertenda. cuius rei locupletiſſimus teſtis

mus teſtis

mus testis est is ipse Cicero, qui cum studium suum in ciuilibus artibus in prima commendatione ponat, non tamen Seruium Sulpitium contemnit; sed ita eloquentiæ primas defert, ut iuris ciuilis laudem proximam faciat, cumq́; eloquentia penè coniungat. In secunda (inquit) arte maluit Sulpitius primus esse, quàm secundus in prima. Detur hoc Ciceroni; ut studium suum anteponat, neq; enim nobis nunc propositum est, ut ius ciuile & artem dicendi inter se comparemus, modo illud concedatur nobis, quod negari non potest, iuris ciuilis dignitatem in proximo gradu ab eloquentiæ gloria a Cicerone ipso collocari. Quod uerò in oratione pro L. Murena parum honorifice de iure ciuili locutus uidetur, id non tam ad hoc studium premendum pertinet, quàm ad causam suam subleuandam; neq; ea oratio ex Ciceronis sententia fuit, quam ipse alijs locis declarauit, sed ex rei sui causa, ac tempore; neq; ab oratore semper quid uerum, sed quid causæ aptum est & conueniens, est requirendum. Quod si ueterum temporibus, cum in ciuilibus rebus bipartita esset hominum industria, alijq; in arte dicendi, alij in iure ciuili laborarent, tanto in honore fuit hoc studium, quanto est nostris temporibus magis suspiciendum, cum Ciuitatum libertate (quod lugendum sit) toto orbe terrarum penè sublata, nullus iam fere sit eloquentiæ locus, quæ in liberis tantum populis sedes ac domicilium ferè habere potest; iurisq́; periti non tam in iurisconsultorū, quàm in oratorum etiam locum (ut diximus) successerint; duplicesq́; præclarissimas partes & iuris respondendi, & causarum perorandarum sustineant? At enim Cicero Philosophiæ mirifice deditus fuit; plurimaq́; in ea præclara scripsit; eamq́; ita multis modis & ita uarie uersauit, ut nullius

ferè rei plures libros eius hominis habeamus; nullaq́; res maioribus crebrioribusq́; laudibus a uiro eloquentissimo sit ornata. Ex qua re quanq́; in difficili loco me nunc uersari intelligo, tamen me facile ita expedire posse non dubito. Nam si Cicero Philosophiam ita esset amplexus, ut ob eam rem, uel aliquid temporis atq; operæ foresi industriæ detraxisset; uel eloquentiæ studio Philosophiam anteposuisset, possem et ego Ciceronis auctoritati tantum dare, ut quod ille in suo studio suscepit, id ego in nostro, quod in pari atq; in eadem laude pono, ne recusarem. Cum uero is uir nullum tempus; nullamq́; cogitationum suarum partem in Philosophia posuerit, nisi uel cum feriarum diebus forensis opera conquieuisset; isq́; se animi recreandi causa in suburbana sua se cōtulisset; uel cum Republica armis ciuilibus oppressa atq; euersa forensis industria penitus concidisset, cui esse possit de hac re Ciceronis obscura sententia? quis possit dubitare, quin ea fuerit Ciceronis ratio, ut illa studia negotij & grauitatis; hæc otij & relaxationis animi esse existimaret? Quod uero in laudanda Philosophia plurimus fuerit, quæso ne eius rei ratio uel in hac re, uel in quauis alia a Cicerone requiratur. Ecqua enim res est, in qua Cicero dignum statuerit, ut in illa laboraret, quin eandem, ut fuit omnium hominum in dicendo copiosissimus, in cœlum extulerit? ut diligenter in rem intuentibus non tam scientiæ eius, quam tractaret, laudem Cicero quærere uideatur, quàm in illa tractanda eloquentiæ gloriam persequi. Cumq́; nullus iam esset in foro, & in iudicijs eloquentiæ locus; uirq́; ad dicendum in primis natus nihil omnino agere non posset, Philosophiam quæsiuit, in qua excolenda eloquentiæ gloriam, qua nimium ducebatur, reti-

neret. Nam quod omnia liberalia ingenia deterreri a tam illiberali labore dixisti, Te & huic Antonio & multis praeterea nostrae aetatis claris uiris liberalibus, & ipsis artibus instructis iniuriam facere existimo. Hic cum & ego plura dicere uellem & Sighicellus magnam respondendi uoluntatem significaret, Moronus nos interpellans. Nescio (inquit) quo fato esse dicam factum, ut in hunc sermonem deueneritis. Nam Vir Clarissimus, summaq; mihi necessitudine coniunctus Franciscus Sfondratus Cardinalis nuper ab Vrbe discedens orationem mihi reliquit, cum de ea re saepe hominem rogassem, quam is adolescens bene longam habuit in Gymnasio Patauino Quar. Non. Nouemb. qui dies initium est studiorum ob aestiuas ferias intermissorum, in qua in Philosophiam acerrime est inuectus, cum Iuris Ciuilis studium multis uerbis illi praetulisset. Quid uero is assecutus sit, uestrum erit iudicium. nam eā mecum attuli, ut eius lectione meridianas horas traduceremus; ac quid uos cum de ipsa re, tum de ratione illam tractandi existimaretis, cognoscerem. Tum Antonius, Nobis uero Morone, ut pro alijs loquar, gratissimum feceris. Nam ut omittam horarum fastidium honestius uitari non posse, cum Philosophi omnia, quae pro studio suo dici possunt prompta, ac millies (ut ita dixerim) decantitata habere soleant; duriores futurae fuerant partes meae & huius Folietae, cum quo magnopere in hac re sentio, si ex tempore contra Sighicellum nobis disputandum fuisset. Itaq; laetor hanc nos contra illum orationem, quasi praemeditatam disputationem posse proferre. Id adeo non sine Diuino numine cecidisse arbitror, quod cum iustas causas praesidio suo nunq; deserant, Causam nostram communierit huius oratio

nis patrocinio. In qua si uiri amplissimi Sfondrati excellens ingenium; eximiam doctrinam; ac singularẽ eloquentiam bene perspectam habeo, maximam uictoriæ spem pono. Tum Sighicellus, non minus (inquit) Morone mihi quoq; iucũda futura est ista oratio. Nam ad eas causas, quas Gallesius attulit, illud non in postremis accedit, quòd non paruam delectationem habere uideatur elegans & probabilis contra ueritatem disputatio. quippe quòd in nulla ferè re humani ingenij acuminis præclarius specimen insit. Tum ego Cum ob omnes has causas (inquam) Morone, quæ istos mouent, mihi quoq; hæc lectio iucunda est futura; tum illud ad uoluptatẽ accedit, in quo neminẽ istorum socium habeo, singularis quædam tibi non ignota mea erga Sfondratum obseruantia; plurimáq; illius in me merita. quibus cum omnia summa ac singularia studia debeam, quàm me censes Clarissimi uiri laudibus lætaturum? Tum Moronus, Cape igitur (inquit) puer hos codicillos, ac dilucide & plane lege. Hic omnium silentio facto ita puer est exorsus.

INDIGNATIONI meæ, incredibiliq; dolori, quẽ ex multorum, qui se Philosophos uocant, sermonibus sæpe capio, partim studium hoc nostrum iuris ciuilis non probantiũ, partim etiam uituperantium, suumq; nimis extollentium, magnum cumulum adolescentes hodiernus dies attulit. Etenim cum in more quotannis usurpato positum sciam, ut aliquid de iuris ciuilis laudibus in hoc totius orbis terrarum clarissimo Gymnasio hodierno die dicatur, quod munus multi ante me ex hoc loco magna cum eloquentiæ admiratione sustinuerunt; hoc ego laudis fructu in præsentia cogor carere. Nam mihi aliam propositam rationem dicendi, aliam orationis uiã

ineundam esse intelligo; & a ueteri instituto necessario esse decedendum; totamq; orationem ad eorum, qui sanctissimum hoc studium ita inimice insectantur, ita aperte exagitant, ac uexant, ita aspere lacerant, reprehensiones & maledicta refellenda ac refutanda; nostrumq; studium illis anteferendum esse cõuertendam. quod tamen neq; omnino ab hoc die alienum esse existimo; & magnæ utilitati iuri ciuili operam dantibus futurum confido. Nam demonstrare nullum esse in illo reprehensioni; uel calumniæ locum; Philosophiæq; studio longe nostrum præstare, hoc non sine summa iuris ciuilis sanè gloria potest contingere; ut nõ minores laudationis, quàm defensionis partes suscepisse uidear. utilitatem autẽ eam uel maximam res habet, quod una hæc uidetur hoc tempore animorum adolescentium huic studio retinendorum planè ratio. Periculum est enim, ne imperita ætas cum istorum captionibus futilibus illis quidem, sed tamen ad speciem satis insignibus decepta; tum splendore nominis, quod præclarissimũ Philosophia obtinet, capta, a iure ciuili abducatur; & ad Philosophiam se conuertat; qui uero magis confirmata iam sunt ætate; satisq; magnos in iure ciuili progressus habent, studium et diligentiam in perdiscendo remittant, quòd (ut isti dictitant) nullam arbitrentur in ea re dignitatem inesse, nullam magnarum & præclararum rerum scientiam, nullum deniq; ad Rempublicam gerendam præsidium. Equidem cum ipse mecum animo agitarem apud optime constitutas Ciuitates Philosophos, uel interdum ab Vrbibus omnino publice fuisse exclusos, uel certe Philosophiam semper tum in Vrbibus extitisse, cum sancta ueterum disciplina magna ex parte dissoluta res iam in deteriorem partem inclinatæ essent; & ad in

teritum spectarent; cuius rei testes essent Sparta & Roma, existimabam nostræ ætatis Philosophos præclare secum actũ arbitraturos, si a legibus in ciuitatibus ferrẽtur; ne dum illos crederem legum studio operam dantibus, maledictis ultro insultaturos; et (si Dijs placet) legum studia, hoc est leges ipsas penè irrisuros. Quorum temeritatem atq; impudentiam quousq; tandem feremus? quem ad finem se se efferet istorũ petulantia? qui modus erit calumniarum, maledictorum? quem finẽ facient nos insectandi? quoad tantam linguæ intemperãtiam nostra alet patientia? qui terminus erit ineptiarũ, quas assidue fundunt, dum & apud imperitos homines & apud Principes uiros in circulis & in conuiuijs doctrinæ admirationem captant? Quæ multa acerba & indigna eo minus sunt in illis ferenda, quòd cum se nihil nisi cum ratione uel dicere, uel refellere profiteantur, hacq; in primis re studium suum commendare nitantur, nullum tamen est genus hominum, quod in quotidianis sermonibus, cum hæc disputatio de iuris ciuilis & Philosophiæ comparatione est illata, minus ratione utatur; sed cantilenis quibusdam, quas semper in promptu habent pro responsis pugnant; sordidisq; nominibus nostræ ætatis iurisperitos appellant, perinde quasi conuicijs sit uincẽdum; se uerò Deos propè faciunt, se omnẽ Naturæ uim, omnes res siue Diuinas, siue humanas scientia comprehendisse; se deniq; ad Dei ipsius notitiam peruenisse prædicant; se in cœlo assidue uersari; ibi causas rerum perdiscere; tantamq; esse præclarorum studiorum uim, ut ab humana natura penè disiungantur & Diuinæ participes fiant. Neq; tamen cœlestium rerum pulchritudine, uel amore se ita unquam capi, uel diuturnæ consuetudinis suauitate ita teneri, ut non in-

terdum & humanarum rerum cura attingantur; sed cætero rum hominum aliqua ex parte natura sibi coniunctorũ (neq; enim se humanam naturam penitus exuisse dicunt) uicem miserantes, quos altissimis ignorantiæ tenebris oppressos do leant, e cœlo interdum descendere, hoc est Diuinarum, præ stantissimarumq́; rerum contemplationem intermittere; tum uero suo aduentu sese tenebras a nobis discutere; errores qui bus uarijs, ac multiplicibus uita nostra sit imbuta, nobis eri pere, ad beatam uitam nobis uiam ostendere, ac munire; summum hominis bonum nobis proponere & in clarissima luce collocare; quin etiam se homines a fera agrestiq; uita ad humanitatem olim finxisse; eos siluis, ut pecudes errantes in Vrbes conuocasse, moribus formasse; legibus constituisse; ut neq; Iouis, neq; cæterorum Deorum tanta in nos merita extent, quanta beneficia a Philosophis habemus. Atq; hæc plenissima leuitatis & futilitatis cum multo etiam uberius & inflatius, quàm a me referuntur, quotidie iactent; nullus tamen nostris temporibus adhuc extitit, qui illorum arrogan tiam & magnifica uerba retunderet. quod eo mirabilius mi hi uideri solet, quod (ut dixi) laudes suas cum contumelia no stra ferè semper coniungunt. Nam si eo possent esse conten ti; ut studium suum quantis maximis possent laudibus in cœ lum efferrent, neq; necesse haberent nos etiam lacerare; taci ti & nos ferre possemus hac inani gloriæ usura eos frui, cũ præsertim intelligeremus cõmuni naturæ uitio fieri, ut unus quisq; suo studio plurimum tribuat. Cum uero in nos ita cõ tumeliosi existant, quis ferre possit homines leuissimos ina nissima, atq; adumbrata doctrinæ specie, earumq; rerum sciẽ tia, quas ne dubia quidem coniectura assequi possint, subni-

xos atq; elatos nobis in ea re uersantibus, sine qua omnino Respublica consistere non possit, ultro insultare? quos ita asperos in nos esse existimo, quod cũ (ut in ueteri prouerbio positum est) miserorum sit, ut maleuolentes sint & maledicant melioribus, disrumpuntur scilicet cum nos uident summo semper in honore apud homines fuisse; Nos ad Rempublicam gerendam; Nos ad summorum Regum intima consilia uocari; Nobis Prouinciarum administrationem; Nobis omniũ humanarum rerum procurationem committi; Nobis disceptatoribus omnia, quæ ab omnibus aguntur transigi, atq; constitui; Nobis opes, Nobis honores, nobis magistratus, nobis apud Principes uiros gratiam, nobis sacerdotia cedere; nostro labori atq; industriæ fructus, qui ab hominibus sunt uberrimi; præmia, quæ ab hominibus existunt amplissima; dignitatem atq; auctoritatem, quanta apud homines obtineri potest, esse propositam. Ac me quidem turpissimum nobis existimantẽ, cum & causa & cæteris rebus omnibus istis, qui se Philosophos uocant, tanto simus superiores, uerbis & eloquentia ab illis uinci; cum eæ causæ, quas supra commemoraui, hortatæ sunt, ut hoc studij nostri defendendi munus susciperem; tum etiam ea me res ad hoc orationis genus non in postremis impulit; quòd cum hoc ciuile ius nostrum Romæ atq; in Italia natum sit, educatum, confirmatum, perfectum, omnium Italorum officium in ea re agi statuo, ut hoc studium in inuidiam a maleuolis uocatum, multisq; maledictis & criminibus oneratum tanto eius tempore defensione sua non deserant. Nam cum reliquæ artes ac disciplinæ aliæ apud alias nationes natæ sint; omnesq; postea in Græciam importatæ diligentissime ab hominibus acutis et ingeniosis, plurimoq; otio affluentibus

tibus

tibus excultæ & ornatæ; e Pireæo deinde euectæ toto orbe terrarũ peruagatæ ſint; plurimasq́; acceſſiones ab alijs etiã gentibus acceperint; iuris hæc ſiue ars, ſiue ſcientia, ſiue quo alio nomine illam uocari libet, Romæ (ut dixi) orta, alta, & exculta eſt. Quare ut cæteras artes, ac diſciplinas peregrinas dicere poſſumus, ſic iſtam ciuem noſtram, germanamq́; Italam recte uocabimus. Ac quemadmodum reliquarum exteros auctores ferè habemus, ueluti iſtius ipſius Philoſophiæ Ariſtoteles, Platones, Theophraſtos; artis metiẽdi Ptolæmeos, Euclidas; medendi Hipocrates, Galenos; etiam Poetices Homerum, Pindarũ; ita huius Catones noſtros; Scæuolas, Sulpitios, Papinianos, aliosq́; innumerabiles. Et hercule quod ſtudium Romanorum ſapientiæ & grauitati conuenientius fuit? quæ ſcientia congruentior ijs uiris, qui ſingulari quadam animi magnitudine orbis terrarũ imperium eſſent amplexi? Cumq́; in Græcia alij ideas ſomniarent; alij, (quod miſerandũ eſſet) curioſi, naturæ principia & cauſas inueſtigarent; alij alias res nugatorias, nihilq́; ad beate uiuendum pertinentes comminiſcerentur; quin etiam alij (ſi Dijs placet) in ſcholis Reſpublicas fingerent; commentitijsq́; legibus et inſtitutis, quæ ad humanum uſum nullo modo poſſent accommodari, formarẽt; Viri ſapientiſſimi non in nugis tempus conſumebant, ſed omnem induſtriam; omnem laborem; omne denique ſtudium in ea re ponebant, qua ſublatis controuerſiis, Ciuium concordiam; urbanam tranquillitatem; Reipublicæ ſalutem contineri uidebant. Vt mihi quidem uel in hac una re magna iuris ciuilis commendatio ineſſe uideatur, quod & artem dicendi, in qua etiam cæteris ferè gentibus præſtiterunt; & hoc ſtudium dignum exiſtimarint, in quo homines ad imperandum

reliquis hominibus nati; quiq; totum ferè orbem terrarum imperio ſuo ſubiecißent, operam ſuam ponerent. Quid quòd eodem imperio, cũ fortunæ iniuria, tum inteſtinarum diſcordiarum culpa amißo, hoc tamen ſtudium Italia non exceſſit, ſed præclara Imperij ſocietate orbatũ tanquã in patrio ſolo apud Italos remanſit? Nam quoruncunq; recentioribus tẽporibus in hac diſciplina nomẽ paulò clarius extitit, ij omnes Itali fuerunt, ut cum cæterorũ artium liberalium laus nobis cũ reliquis tranſalpinis nationibus ſit communis, huius gloriæ nullam earum habeamus ſociam. Quare cum hæc ſcientia tota noſtra ſit, decet pro ſe quenq; quantũ ingenio, ac facultate aßequi poteſt conniti; omnesq; naturæ & induſtriæ neruos in eo contendere, ut præclarum hoc ſtudium ab inuidis, ac maleuolis laceratum atq; uexatum ab eorũ (ut ita dixerim) manibus eripiat, & in eum dignitatis locum, quem apud maiores noſtros ſummum ſẽper obtinuit, reſtituat. Ego quidẽ, quòd Italus ſum, aliquam meam uirilem partem eſſe exiſtimo, ut quicquid dicendo ualeo; quod aut omnino nihil, aut parum certe eſt, totum id in hoc munere a ſummo officio atq; a Patriæ charitate mihi impoſito exprimam, atq; effundam. Vtinam, qui præſtantiore ſunt ingenio, maioraq; ad dicendũ naturæ & exercitationis habent inſtrumenta noſtris ueſtigijs ingreſſi, quod a nobis inchoatum ac rude excidet, id ipſi poliendum, ac perficiendum ſuſcipiant. Igitur exeant in arenam Philoſophi, manumq; conſerant. Etenim nos non in puluerem modo atq; ſolem, ſed in ipſum Martis diſcrimen; in medium pugnæ ardorem deſcendere; tota deniq; acie; omnibusq; ſignis collatis, prælium cõmittere non dubitamus. Vos Adoleſcentes oro, atq; obteſtor, ut quam diligentiam, animorumq;

attentionem iuri ueſtro ciuili in eo perdiſcendo, deq́; doctori-
bus audiendo tribuere ſoletis, eandem in eius defenſione au-
dienda tribuatis. Neq; enim ſi utilitas perdiſcendi aures atq;
animos ueſtros tantopere tenere ſolet, minus gratum uobis
eſſe debet rationem ſtudij ueſtri defendendi cognoſcere. Igi
tur totius Philoſophorum cauſæ caput eſt, rerum Diuinarũ,
earumq; quæ in natura ſunt præſtantiſſimæ contemplationē
& ſcientiam actione longe eſſe præſtantiorem. Hanc cau
ſæ ſuæ munitiſſimam arcem putant; ad hāc confugiunt; huic
innituntur; hanc pugnaciſſime defendunt. Etenim illud ſtu
dium præclariſſimum eſſe uolunt, ac præſtantiſſimum, quod
in præclariſſimis rebus uerſetur; deq́; ijs quærat; ac præcla-
riſſimæ illi res inueſtigandæ ſubiectæ ſint, atq; propoſitæ.
Atqui ſi hoc eſt ullius ſtudij; ſi ulla ars hoc ſibi aſſumit; ſi ul-
li homines hoc profitentur, id in primis, totumq́; eſſe Philo-
ſophorum. Nam cum cætera ſtudia, atq; artes aliquam hu-
manarum rerum partem gerendam, ac procurandam ſibi ſu
mant; Oratorq́; in foro, cauſiſq; agendis totus ferè uerſetur;
Iurisconſultus in controuerſijs ciuilibus ius reſpondeat; Im-
perator hoſtes a finibus Patriæ arceat; cætera item humilio-
ra opificia aliquam partem operæ atq; opportunitatis pro ſe
quodq; Ciuitatibus præbeant, non ea eſt animi Philoſophorũ
puſillitas, atq; exiguitas, ut in eiusmodi rerũ humilitate diu-
tius poſſit uerſari; neq; Diuinæ mentis impetus; ingenijq; ad
longè præclariora nati uis in rebus tam ſordidis diutius iace
re poteſt, atq; tabeſcere; ſed rerum humanarum procuratione
reliquis commiſſa, in cœlum inueſtigatione euolant; ibiq; totã
naturæ uim; ibi cœleſtium rerum cauſas; naturam, efficien-
tiam; ibi Dei ipſius Optimi Maximi notitiam ſcientia aſſe-

quuntur, atq; comprehendunt. Quare quantum res cœlestes terrestribus; æternæ, atq; immutabiles fluxis, ac caducis; diuinæ humanis; Deus ipse hominibus præstat; tanto interuallo reliquis artibus atq; doctrinis Philosophia cœlestiumq́; rerū contemplatio antecellit. Tum multa inculcant de summo bono, ac beatitudine, quæ cum duplex sit, ac nō modo genere sed etiam gradibus & magnitudine altera ab altera differat, præstantiorem, Diuinioremq́; atq; (ut ita dixerim) beatiorem esse uolunt eam, quæ in ipsis sit, quàm quæ in cæteris, propterea quòd duplex sit in nobis intelligendi uis, uel (ut ipsi uocant) duæ in nobis intelligentiæ. harum nobilissimam esse cōtemplatricem; atq; ideo fieri, ut eius finis nobilißimus etiam sit. Is autē est diuinarū rerū scientia. quē si quis assequitur, nobiliorē profecto is beatitudinē assequitur, quàm si quis alterius intelligentiæ partis, quæ in actione tota posita est, finē, qui est moralium uirtutum usus, aßequatur. Et adhuc non pudebit aut iurisperitos, aut omnino quenquam alium Philosophis anteferre, aut uero conferre? Cum præsertim credēdum sit eos homines Dijs esse charißimos, qui ad Deos proxime accedant; quiq́; Deorum maxime similes fiant, quod Philosophis in primis contingit. Nullum enim Dei ipsius Optimi Maximi opus tam excellens eße, tamq́; præclarū, quàm quòd se ipse intelligit, cognoscit, contemplatur; nobilioremq́; eße in Deo, ac præstantiorem hanc sui cognitionem et perceptionē, quàm cœlestium & humanarum rerum curationem, administrationem, gubernationem, moderationem. Quare si res diuinas non uenerari; impietatis est; homines Dijs charos & acceptos lædere, sceleris; præstantioribus se æquare, stultitiæ & arrogantiæ; nimirum causa Philosophorum est eiusmodi,

quam nec pius spernere, nec bonus uexare, nec sapiens, ac modestus non suspicere, ac studio suo debeat anteferre. Praeterea cum omnium rerum duplex sit ratio; aliaeq́; propter se ipsae quaerantur, neq; extra eas aliud quicquam in ijs persequẽdis hominibus sit propositum; sed ipsis ipsarummet finis insit; contra, aliae non propter se, sed propter alias res quaerantur, primum certe dignitatis gradum superiorum esse. quae enim propter alia quaerantur, non esse dubitandum quin inferiora sint ijs rebus propter quas quaeruntur. hoc ita patere, ut si quis uelit inficias ire, contra eum ne sit disputandum quidẽ. at rerum naturae contemplationem & scientiam esse eiusmodi; actionem uero nequaquam. neq; enim quenquam agere ob id ipsum ut agat, sed aliud praeterea omni actioni quaecunq; ea sit, semper esse propositum; quod nobilius scilicet sit illa ipsa actione. Res uero naturae scire contendimus, ut illas tantũ sciamus, suiq; ipsa scientia terminus est & modus. Deinde nihil opus esse tantam operam sumere in scientiae dignitate probanda, quam non a Doctoribus discere, sed a natura ipsa haurire, non argumentis ostendere, sed naturae ipsius ui demõstrare; non disputationibus inuestigare, sed naturae admonitu intelligere debemus. Ecquis enim est, cui nõ insita sit atq; innata, penitusq́; in animo infixa atq; insculpta haec sciendi, cognoscendiq́; cupiditas; & quidem ob id ipsum solum ut sciat? Ecqua mentio rei paulo obscurioris unquam infertur, quin subito eius rei cognoscendae studio omnes corripiãtur quicunq; adsunt? quod non idem de alijs rebus dicere possumus, nanq́; alius alio studio ducitur; & ad uarias res naturae propensione omnes ferimur; ad easq́; ipsas uarijs causis impellimur. sciendi uero cupiditas omnibus communis est; atq; omnibus

æque ſcientia eſt iucunda; & ob id ſolum quidẽ, ut ſciamus. Cum igitur naturæ hominum nihil tam proprium ſit quàm ſcire; ſemperq́; natura ad optima feratur, cui dubium eſſe poſ ſit, quin ſcientia ipſa per ſe optima præclariſſimaq́; res ſit? nullaq́; re alia fieri dicunt, ut omnium ſenſuum uiſus iucun diſſimus exiſtimetur, quàm quod eo plures res, quàm cæteris ſenſibus percipere poſſimus, atq; cognoſcere. Quid quòd contemplatio hominis tantum eſt, hominiq́; ea ratione tã tum conuenit, qua ipſe homo eſt? Nam cum reliqui omnes ſen ſus atq; appetitus, cæteræq́; ſiue animi ſiue corporis uires atq; motus ſint nobis communes cum beſtijs, intelligendi tan tum uis noſtrã propria ſit, neq; in ea ullam omnino reliquorum animantium habeamus ſociam, contemplatio autem opus totum ſit intelligentiæ; nullæq́; omnino partes ſint reliquis ho minum uirtutibus in contemplando communes, nonne effici tur ut ſola contemplatio ea ratione homini conueniat, qua ipſe eſt homo? quod non idem de reliquis humanis actionibus di cere poſſumus, quippe quæ reliquarum uirium & inſtrumen torum ſiue illa animi, ſiue corporis ſint, præſidio egeant; quarum rerum reliqui animantes participes ſint. quo fit, ut homi nes eo quòd homines ſunt, contemplentur, ſuiq́; tantum in ea re ſimiles ſint; agant uero eo quòd animantes ſint. id etiã in ſingulas beſtias intuenti manifeſte apparere. omnes enim ui demus cibũ quærere; ad ea quæ iuuent accedere; quæ noceãt declinare; ſaluti ſuæ conſulere; in futurum etiam ſibi proſpi cere; iniurias ulciſci; quin etiam hominibus ſæpe blandiri; om nia denique, quæ ad ſtatum ſuum tuendum pertineant efficere. ut negari non poſſit actionem, tametſi multis partibus in hominibus perfectior ſit, tamen aliqua ex parte beſtiarum eſ

ſe;neq; dici ullo modo,hominum eſſe agere; uitæq; ſuæ conſulere;quæq; ipſis cōmoda ſint,expedire,eo quòd homines ſint (ut diximus)ſed quòd animantes. Tanto igitur interuallo puriorem perfectioremq; rem eſſe cōtemplationē,quàm actionem,quanto reliquis animantibus dignior eſt homo, atq; præſtantior.neceſſe enim eſſe nobilioris rei nobilius opus eſſe atq; perfectius. Quòd uero toti huic rationi occurri poſſit, lōgè maiorē eſſe actionis utilitatem,quàm contemplationis atq; ſcientiæ,ex ea re ſe ita facile expedire putant. Negant enim dignitatem utilitate metiri oportere;tātumq; abeſſe affirmāt, ut ad nobilitatem,præſtantiamq; rebus aſciſcendam maximū ſit in utilitate momentum,ut cōtra potius utilitatem de dignitate rerum detrahere contendant.quæ ratio quanquam primo uideri poteſt a ſenſu abhorrere, tamen in rem diligenter penituſq; intuenti planiſſima erit. Declarat enim ipſa uerbi uis,ex eorum genere eſſe utilitatem,quæ ob aliud quæruntur. utilem enim eſſe actionem eam habet ſubiectam notionem,ut ob aliam rem actio quæratur;Non eſſe utilem contemplationem & ſcientiam in eam rem ualet, ut ad nullam rē eis utamur,ſed ipſas propter ſe quæramus. Niſi uero pluris exiſtimandus ſit faber,quòd eius multiplex opera ciuibus utilior ſit,quàm Archimedes,qui præſtantiſſima quadam mentis et ingenij ui ſpheram confeciſſe dicitur,in qua uarias cœleſtiū orbium conuerſiones ita expreſſit,ut in cœlum aſcendiſſe uideatur;ibiq; tantum contrariarum inter ſe rerum, tamq; admirabilem conſenſum oculis percepiſſe. Has res nobis parū acute cernentibus; nullamq; inueſtigandi ac diſſerendi artē tenentibus nouas ſcilicet,atq; difficiles uideri;ſibi uero acutiſſimis uidelicet uiris;in præclariſq; ſtudijs ætatem agentibus

perfaciles esse, atq; pertritas. Age uero ab ipsa Diuinarum cœlestiumq; rerum contemplatione ac scientia nullosne præterea fructus habemus præter ipsam scientiam (quanquã ea per se res est omnium præclarissima) an eos qui sunt uberrimi; quiq; sunt hominibus, ut uocabulo abutar, fructuosissimi? Quos uerò censemus leges quibus homines regerentur, tradidisse; mores, quibus uitam beate traducerent induxisse; nisi eos homines, qui cœlesti doctrina instructi hæc præclara e cœlo in terras deduxerint; humanasq; res ad cœlestium normam atq; ordinem direxerint & conformarint? An uel plures libros uel præclarius scriptos de legibus, de moribus, deq; tota beate uiuẽdi ratione ab alijs hominibus habemus, quàm a Philosophis? Etenim quemadmodum in naturæ contemplatione non unam aliquam partem cognoscendam susceperunt; sed omnia inuestigatione sunt persecuti; ita in rebus humanis constituendis sui similes fuerunt; omniaq; quæcunq; ad hominum uitam pertineant, disputationibus, præceptisq; sunt cõplexi, ut etiam in hac ipsa actione, quam, qui de Philosophorũ laudibus detrahunt, tantopere iactant, Philosophorum prima sit commendatio. a suisq; fontibus multos riuulos permanasse dicunt; singulosq; a singulis artibus ascitos; a iurisconsultis leges; ab oratoribus eloquentiam; a Senatoribus artem Reipublicæ administrandæ; ab Imperatoribus militarem scientiam. omnes enim hos Philosophorum discipulos esse. Cuius igitur ingrati animi sit, ijs uiris qui non in parte una ut reliqui, elaborarint, sed uniuersam Rempublicam constituendam susceperint; ac de quibus reliqui hominum singula artificia sua singuli didicerint, non dignitatis primas uel in hac ipsa actione deferre?

ne deferre? Atq; hæc ferè, quæ ego strictim summatimq; attigi, cum ab ipsis per multa uolumina iactentur; cũ multis uerbis & disputationibus agitentur; cum in scholis decãtitentur, quàm præclaram speciem defensionis censetis adolescentes putare illos se nobis obiecisse? Eam nimirum, quæ uel splendore suo nobis sit aciẽ perstrictura; quàm firma causæ suæ fundamenta iecisse? in cœlo scilicet ac cœlestibus rebus; ut nobis uidelicet timorem iniiciant, ne si tantus sceleris furor nos ceperit, ut in cœlestes res manus inferre audeamus, terrenosq; istos Deos de cœlo deiicere tendamus; Gygantium casus sint nobis subeundi, quorum audaciam ac scelus Iouis fulminibus in fabulis disiectum legimus. Quibus rebus tantum abest adolescentes, ut perturber, ut potius mirer tot homines in tam puerilibus rebus & nostra & ueterum ætate consenuisse. Quòd nisi luce clarius ostendo totas has nugatorias res esse; somnia potius rationũ, quàm rationes; deliramenta nimio otio abutentium; nisi eos de cœlo exturbo; nisi de arce præcipites deiicio; si ullo loco consistere sino, non recuso quin uos me risu, ac sibilis explodatis. Quare animis adeste, ut uestra benignitas in audiendo uires mihi suggerat in disputando. Animaduertistis adolescẽtes Philosophorum disputationẽ in duas diuisam esse partes. Altera fuit contemplationem, quam eandem sapientiam uocant, digniorem, præclarioremq; rem esse, quàm actionem, in rebusq; gerendis prudentiam. Altera in ipsa actione, neq; nos, neq; quosquam alios, sed ipsos primas tenere. Quæ duo sunt nobis refutanda; docendumq; contẽplatione actionem dignitate præstare. Tum in ipsa actione ne ullam quidem laudis partem cum Philosophis communicandã, ne dum sint illi uel nobis uel omnino cæteris uiris, qui in hu-

ius rei pari nobiſcum laude uerſentur, conferendi. Igitur in primo genere reſellendo eos ipſorum ueſtigijs perſequamur. Prima igitur ratio eorum fuit, Ideo hanc ſuam contemplationem digniorem rem eſſe, quàm reliquorum omnium hominũ actionem, quòd illa Diuinas res, easq́; quæ in natura præclariſſimæ ſunt, quærat atq; inueſtiget; actio autem in rerum humanarum procuratione ſit occupata. Cui uero dubium eſſe poſſit ſtudiorum præſtantiam ſubiectæ rei dignitate eſſe põderãdã? Aut qua alia re ſtudij dignitatẽ metiri quisquã poſſit quã ea de qua ſtudiũ illud quærit? Nihilne igitur præterea affertis? An nõ hoc (inquiunt) ſatis tibi uidetur? Mihi uerò nequaquam, ſed aliud paruum quoddam addendum uidetur. Nanq; ego ſic ſtatuo, non ſatis eſſe ad alicuius ſtudij dignitatem & commendationem rem præclaram tractare; ſed illud quærendum eſſe præterea, quomodo quamq́; præclare eã tractes. Neque enim Romanus Centurio aut Eques anteponẽdus erat Annibali clariſſimo Poenorum Duci, quod in præclariore Republica adminiſtranda uerſarentur. quod ita? quia non eodem modo uerſabantur. Ille enim ſummum honorem, ampliſſimumq́; dignitatis gradũ apud Pœnos obtinebat; huic quantulæ tandem Reipublicæ partes erant tributæ? minimæ ſanè atq; obſcuriſſimæ. quod ſi earum, quæ genere potius, quàm magnitudine & gradibus inter ſe differãt, ut hæc ipſa Imperatoris & militis cõparationem quæramus; Age quãto tandem nobilius eſt atq; præſtantius corpus, quàm fortunæ? nonne in generibus bonorum recenſendis ſuperior ſit gradus bonorum corporis? quid ergo? is qui medicamenta a medico imperata conficit, eiusq; rei quoddam artificiũ tenet; uel coquus, qui ijs, qui in morbo ſunt, cibos arte quadam con-

dit, uel ancillula, quæ sedulitatem, sordidasq; illas domestici ministerij operas ægrotanti locat, præstantior erit, ac dignitate anteibit optimo, peritissimoq; iurisconsulto, propterea quòd humilia illa, paruiq; pretij, nulliusq; dignitatis artificia ad humanum corpus a morbo liberandum pertineant; iuris uero consulti scientia atq; prudentia in fortunis hominum tuẽdis magna ex parte sit occupata? Pictorem mehercule interdũ clarissimo Imperatori, cuius munere in rebus humanis nullum potest esse præstantius, anteferemus, si tantum quæramus in qua re & non quomodo, quantaq; cũ dignitate uersentur. nam Imperator nullas unquam res nisi humanas attingit. Pictor sæpe Deos ipsos, cœlestesq; res nobis in tabulis exprimit. quem negare scilicet non possumus res Diuinas Dijs saltem effingendis tractare. Atque ego nisi ratio aperte reclamet, nisi traditatis cuiusdam sit non ferendæ, nisi incredibilis cuiusdam stuporis, libenter de hac re Philosophis assentiar. Etenim si hoc suscipiatur, rerum dignitatem in subiectæ tantum rei præstantia, neque in ulla præterea re alia esse ponendam (quæ mea est gloriæ auiditas) triduo me Poema, quod sit Homeri, Virgilijq; poematibus præclarius editurum polliceor. Non enim uel Vlyssis errores uel Aeneæ in Italiam aduentum canam; sed de animorum immortalitate, de Dei prouidentia, deq; alijs Diuinis rebus Poema conficiam, quod Aeneade & Odyssea nobilius scilicet esse unicam; laudemq; Diuinorum Poetarum cum tot seculorum ætatibus inueteratam planè obscurabo. Dies, Voxq; me dificiat Adolescẽtes, si huius generis innumerabilia exempla persequi uelim. Quapropter docendum est uobis, non in Diuinis uos tantum rebus uersari, sed quæ sit ista uestra uersandi ratio; eaq; cũ

actione est conferenda; uidendumq́; an studium uestrum in praeclarissimis istis rebus idē efficiat, atq; assequatur, quod actio & prudentia in humanis praestat. Etenim actionis est leges condere; optimis moribus Ciues informare; Ciuiū concordiam conciliare; tranquillitatem inter homines tueri: hostes a finibus Patriae propellere: omnia denique quae ad uitam bene & beate traducendam pertinent, actione continentur. Vestrum studium quid efficit in Diuinis rebus? coelestibusne orbibus moderatur, admirabilesq́; illas conuersiones administrat? At illae perpetuae sunt, atq; immutabiles; certaq́; & nunquam erranti lege ita ut uidemus, constitutae. Irasne ac discordias Deorum sedatis? & componitis? At ij omnibus perturbationibus carent. Vestrone consilio in prouidendo ac rebus prospiciendo utitur Deus? At infinita Dei sapientia nullius consilio eget, sed omnibus rebus ipsa consulit, omnibusq́; bene agendi mentem & consilium immittit. Vestrone igitur ministerio aliquo utitur Deus? aliquidne uobis partium in rebus administrandis tribuit? At non eadem est in Deo, quae in hominibus rerum gerendarum ratio; non ea est Dei imbecillitas, ut aliena ope; alienisue administris egeat. Ac ueluti si quis militarem facultatem in praeclariore Reipublicae parte administranda, quàm ius ciuile uersari concedat, atq; ideo in maiore pretio habendam esse non neget, maioresq́; illi honores decernendos esse fateatur, non tamē efficietur ut gregarius miles in comparatione .Q. Mutio Scaeuola & Ser. Sulpitio nobilior sit; aut in consulatus petitione uiris clarissimis anteponatur. At qui iam concessimus praeclariorē Reipublicae partem militi subiectam esse; Quid ita? quòd uiri amplissimi in iuris ciuilis scientia ad summa per-

uenerunt; gregarij pertenuis, perq; exilis est opera, quantuis in nobiliore Reipublicæ parte collocata. Quò fit, ut ad summorum iurisconsultorum dignitatem nequaquam possit aspirare; solisq; Imperatoribus hoc sit reseruatum, qui eundem dominatum in rebus militaribus obtinent, quem clarissimi iurisconsulti in forensibus atq; iudicialibus. Itaq; si contemplationem hanc uestram subiectæ rei commendatione honore uultis actioni præferre, quod actio in rebus humanis efficit; idem in Diuinis & cœlestibus contemplationem efficere doceatis necesse est; ac quemadmodum actio homines (ut paulo ante diximus) per siluas dissipatos unum in locum cōpellit; Vrbes ædificat; leges condit; discordias expellit; pacēq; & concordiam inter homines constituit; humanas deniq; res omnes ita regit, ac moderatur, ut eius præsidio destitutæ ne momento quidem hærere posint, quin omnes statim perturbentur, corruant & euertantur; ita hæc uestra cōtemplatio si dignitatem suam actioni præferre contendit, idē in rebus cœlestibus, ac Diuinis se se efficere debet docere, hoc est sua ope et consilio orbes cœlestes fabricatos esse: sēq; admirabiles illas, perpetuasquè ac dispares, interq; se consentiētes conuersiones, regere, ac temperare; se solem atq; astra mortalibus ostendere; tempestatum uicissitudines, imbres, uentos, fulgura gignere. quarum rerum, aliarumq; eiusmodi infinitarum cum nullam posit efficere, quid aliud est solius tantum inuestigationis nomine actioni se uelle conferre atq; adeo anteferre, quàm si quis cum Regium munus de omnibus humanis rebus nobilisimum esse uicerit, uelit se Imperatori & iurisconsulto anteponere; quòd tantummodo Regem omnesq; eius ministros noscat, sciatq; præterea, quot

ille populis, quot Prouincijs imperet; quàm magna uectigalia, quantã thesauri uim possideat; quantam classem, quot milites alat; Cumq; hæc omnia duntaxat cognouerit, Imperatori uelit se cognitionis tantum præsidio anteferre? Tum opinor Regium munus ille obibit, reiq; omnium præclarissimæ cõmendatione & Imperatori & cæteris hominibus anteferetur, cum in eius erit potestate leges condere; homines ad summos honores efferre; populos regere; magistratus creare; uectigalia exigere. hæc atq; alia eiusmodi cum faciet, tum uero recte Imperatori anteferetur, quod digniorem rem subiectam habeat. Atq; ego nunc contra uos Philosophi, quasi ad earum rerum, quas quæritis, perfectam cognitionem perueniatis; easq; scientia comprehendatis, ita disputo. Cum uero omnia dubia opinione persequamini; cum suspicari uos nõ discere; conijcere, non scire; diuinare, non assequi; mox sim demonstraturus; cuius tandem est arrogantiæ hominibus summa cum laude, summisq; cum laboribus ac periculis humanas res procurantibus atq; regentibus Vos anteferre, ut illos præ uobis ferè irrideatis? cuius temeritatis, partem Diuinæ beatitudinis, similitudinemq; uobis assumere, cum Deus ad ueritatem se ipse intelligat, atq; ideo beatus sit; Vos quid is sit (id quod postea docebo) ne possitis quidem suspicari? Mihi quidem tantum abesse uidemini ab hac similitudine, quam uobis impudentissime arrogatis, ut aliam de uobis cõparationem libeat afferre. quam quæso adolescentes diligenter attendite. fingamus enim in orbe hoc nostro multos homines esse in uarijs muneribus, quæ humanæ uitæ usus postulat, obeundis occupatos; alium contra hostes in aciem excũtem, seq; pro Patria extremo discrimini fortiter offerentem;

alium legationem obeuntem; alium clientibus consulentem, in ureq; cauentem; alium quæ in senatu dicat ad animos Patrum in salutarem Reipublicæ sententiam perducendos meditantem; alium ad alios uirtutis usus se excitantem, aliũ item (ut de humilioribus rebus loquamur) agriculturæ operã dantẽ; alium merces ad Patriam, & ea, quæ uictui necessaria sunt, comportãtem, cæterosq; homines multiplicibus opificijs pro se unumquenque publicis commodis seruientes, ac cũ maxime in ijs rebus unusquisq; sit occupatus, existere aliquem unum, qui nauim paratam habeat, atq; omnes superiores ita interpellet. Quid uos tenues has & humiles res consectamini, quibus breui liceat esse beatissimis? qua uoce excitati, munus suum omnes deserant; institutamq; operã intermittãt; & ad hominem beatitudinis auctorem concursum faciant, eumq; circunsistant. Is uero narret esse insulam quandam omnium uoluptatum, iucunditatumq; plenissimam, ad quam, qui peruenerint eos omnia, quæ in hominum appetitum cadere possint, plenissime assequi; omnibus suauitatibus assidue redundare; nullo eos metu terreri; nulla solicitudine iactari; nulla cura angi; nulla cupiditate efferri: nullo mœrore attingi; nullo dolore frangi; nulla ægritudine lacerari; proinde omnes sedulò hortetur, ut nauim conscendant, secumq; ad tantam beatitudinem iter capiant. Illi uero cum uideant nauim e tenui, imbecillaq; materia confectam, nec satis firmam ad maris tempestates, ad procellarum impetus, ad fluctuum uim sustinendam; tum præterea meminerint multos alios eadem amentia correptos idem tentasse; nullum tamen certum cursum tenere potuisse, ac ne Insulam quidẽ ab ullo omnino homine unq; conspectam, sed inconsultos, nimiumq; audaces

homines, uel tempestatibus obrutos, uel procellis uexatos, uariјs erroribus distractos fuisse, irrisum hominem a se dimittant. Sic uos inanissima spe abrepti; imbecillissima humani ingenij naui, neque ad diuinarum rerum infinitum pondus sustinendum idonea, errationis mare ingressi, ibiq; opinionum fluctibus iactati; cum ueritatis portum ne aspicere quidem unquam possitis, id labore, ac stultitia uestra assequimini, ut a grauibus uiris sitis irridendi. Atq; ego hæc crimina credo in illos fingo, atq; inique hanc illis inuidiam studeo conflare; Difficile est credo, hanc eorum comtemplationis futilitatem; hoc mentitum scientiæ nomen demonstrare. Quod ne lõgius faciam, cum rerum uel probandarum, uel refellẽdarum duæ omnino sint uiæ testes & ratio; utra re uobiscum utar? utro gladio uos petam? utrouis satis esse debet; sed ut causam uestram omnino conficiam, utrunq; in uos distringam. Ac rationem quidem prius accipite. Duæ sunt omnino rationes cognitionis rerum ignotarum assequendæ. altera quæ ex causa rem a causa effectam demonstrat. quæ ratio stabilis est, & constans, scientiamquè eius rei quam quærit, planè assequitur, atq; ita assequitur, ut de ea dubitari iam non possit. neque enim cum causam perfecte teneo unde aliquid existat, de ea re dubitare iam possum. altera quæ a rei effectæ cognitione causam eius rei inuestigatione persequitur. quæ ratio nihil certi, aut explorati affert, sed opinionem; ueriq; similitudinem quandam potius inducit. fieri enim potest, ut alia sit eius rei causa. quod mox docebo. Cum igitur postrema hac uia ad rerum Diuinarum notitiam; naturæq; cognitionem peruenire studeatis, ex uobis quæro, utrum tandem dubiam opinionem, an exploratam scientiam assequamini? hærent

ni? hærent homines, erubescunt, æstuant, uident se in ancipiti loco uersari; ac quicquid in re tam perdita dixerint, fore, ut in eo magnum flagitium hæreat. Si dubiam responderint, eximiæ leuitatis, inanissimiq; studij confeßionem ab illis expressimus, qui in eius rei cognitione assequenda, quæ cognosci planè non poßit, contabescant. Si exploratam, in manifesto mendacio tenebuntur. Quare nihil remittamus, sed instemus, atq; urgeamus. Agitedum rationem studij uestri tandē nobis exponite. Scientiam (inquiunt) aßequimur, O impudentiam singularem. Vosne cum a re effecta ad causam inuestigandam gradum faciatis, scientiam assequimini rerū ab oculis; omniq; sensu remotißimarum, cum earum rerum, quæ inter manus uersantur; quæ attrectantur; quæ sub aspectum & cæteros sensus cadunt, nihil inter uos constet; sed ita magnæ sint cōtrouersiæ, sententiæq; ita discrepantes, ut fortuita de ijs loqui uideamini? quæ si omnia persequi uelim, latera me citius deficiant. Sed tamen nonnulla de insignioribus proferam, quo illustrior sit uestra impudentia, atq; testatior. De ratione uidendi, an non magna est inter uos controuersia? cū alius formas quasdam & imagines a rebus proficisci dicat, quæ ad oculos perueniant; atq; ita uisum fieri; patientisq; partes oculum sustinere; alius radios quosdam ab oculis exire, qui imaginibus a rebus proficiscentibus obuij fiant, eoq; congressu uisum fieri? ubi sensus tangēdi sit plurima dissensio. nanq; alius eum in corde; alius in neruis; alius etiam in alia re collocat. Eius uenæ quæ caua dicitur, unde initiū sit, a cordene an ab Epate, centenis millibus humanis corporibus incidendis ne oculis quidem disceptatoribus adhuc constituere potuistis. Iam de neruorum ortu, utrum a corde, an a ce-

rebro; de uitæ fonte atq; origine, ab utro eorum, infinita, neq; unquam ad exitum perducta quæstio. De somno, quemadmodum is in nobis fiat, aliquid ne inter uos conuenit, quod pro comperto affirmare possimus? Iam de reliquis omnibus sensibus, auditu, odoratu, gustu, an non magna apud uos controuersia; cum alius aliam rationem illorum in nobis gignendorum afferat? Iam quod sit fœminæ opus in procreatione adhucne inter uos constat? utrum ea susceptrix tantum sit seminis, quod uir immittit, ac fotrix; an & ipsi cum uiro in agendo partes sint communes? modus est aliquis in recēsendo adhibendus. infinita enim sunt quæ proferri possunt. Atq; hæc omnia non sunt a nobis remota, sed in nobis ipsis insunt; & pleraq; eorum sub sensus cadunt, ac manibus attrectantur. Qui igitur uideamus nihil uos in his rebus certi afferre, quā nos opinionem censetis in rebus cœlestibus ab omni sensu remotissimis de uobis accepturos? quam fidem uobis in rebus a nobis ita disiunctis, tantoq; interuallo separatis habituros; quam eam uobis ipsi in rebus, quæ in nobismet sitæ sunt, abrogetis? Itaq; Aristoteles ad tuendum hunc locum, quem maxime lubricum esse intelligeret, comparationem quandam commētus est. Vt enim (inquit) mulierem, cuius amore ardentissimo tenearis, satius est cōtemplari; eiusq; uestis extremā partem tangere, quanuis ea non potiare, quàm alia muliere frui; ita in rebus cœlestibus inuestigandis, atq; contemplandis satius esse mente, cogitationeq; uersari, quanuis non multarū rerum scientiam, eamq; non ita exploratam assequaris, quàm in humanis planè cognoscendis ac procurandis. Quàm lepide homo acutus se nobis censet illudere. quid si doceo nihil cōminisci potuisse Aristotelem; quod ei esset magis aduersariū,

ac nobiſcum faceret magis? Id adeo in omnibus perditis cauſis uſu uenit, ut quicquid dicitur ſemper deterius fiat. nam (ut omittam) cõparationem iſtam tuam ita facile poſſe eludi, ſi dixerimus nos non tanto cœleſtium amore unquam capi, quin longè ardentiore cupiditate rerum, quæ in actionem cadunt, cognoſcendarum atq; gerendarum efferamur; aliam tamen comparationẽ tibi refero Ariſtoteles longe ad diſputationem noſtrã (ut mea quidẽ fert opinio) accommodatiorẽ; neq; a genere comparationis, quo uſus es diuerſam. Finge.n. duos eſſe homines, quorum alter præſtanti forma mulieris amore flagret, eamq; non contempletur modo, ſed amplectatur et oſculetur, omnemq; ex ea uoluptatem, quam a mulieribus habere poſſumus, planè capiat; alter cum eiusdem mulieris facultatem habeat, aſpernetur tamen, ac totam mentem in cogitatione lõge ſuauiſſima defigat, ſecumq; ipſe animo agitet, quæ ij Poetæ fabulati ſunt, a quibus Circe & Calipſo inducuntur, atq; ijs de ſuo aliquid addat, in Inſula amœniſſima perpetuũ uer eſſe; ibi ædes eſſe ex auro atq; ex ebore factas, eas omnium uoluptatum & illecebrarum genere redundare; in ijs pulcherrimas nymphas habitare Veneris Reginæ atq; eas ædes ingredientium miniſtras, ipſam Deam ea pulchritudine quæ cogitationis noſtræ uim effugiat, inter eas ſedere; miráq; ſui deſideria aſpicientibus excitare; eam ipſe cupiat exoſculari, complecti, ea potiri, uireſq; ſibi alicuius poculi uirtute ſuggeri atq; inſtaurari, ne laſſitudine feſſus uoluptatem unquam intermittat; in eaq; cogitatione penitus conficiatur, an non hic cum inaniſſima cogitatione ſua eius rei, quæ ſpecioſiſſima quidem ſit, ſed cuius hominibus facultas nulla ſit, neq; uero eſſe poſſit, ab omnibus irrideatur; ſuperiorẽ

illum minus ad ſpeciem inſignia, ſed tamen certa conſectantẽ omnes probent? Vtra comparatio ſit cauſæ noſtræ accommodatior, utra ad ueritatem propenſior, ueſtrum ſit adoleſcẽtes iudicium. Ego quidem Philoſophorum imaginem me ita pinxiſſe exiſtimo, ut Apellis ſtylo (abſit a uerbo inuidia) melius exprimi non potuerit. At credo in ijs rebus cœleſtibus et præclaris ad quas nullus humanorum ſenſuum aſpirat, minore ſunt in uarietate, minusq́; de ijs inter ſe diſſentiunt, ſed conſtans omnium, conſentiensq́; opinio cum multisq́; ſeculis ſine ullius dubitatione inueterata fidem illis conciliat. Dij immortales quantæ, quamq́; multæ in ſingulis ferè rebus diſſenſiones, quàm uariæ ſententiæ; quàm controuerſæ; quàm multa fingunt; quàm multa comminiſcuntur, ut cum Poetis certare uideantur, pluresne illi de Dijs fabulas inuenerint, an ipſi de Deo; de naturæ principijs; de tota ipſa rerum natura: de eius cauſis: de animorum natura futiles, cõmentitiasq́; attulerint ſententias. Infinitum eſt ſingulas res apud ipſos cõtrouerſiæ plenas perſequi. legite libros Ariſtotelis in quibus uarias antiquorum opiniones de naturæ primordijs, de animorum natura; deq; reliquis rebus refert; ſi eos quicquã ſapere, ac nõ in omnibus deſipere; ſi cogitare, ac non ſortiri quid loquantur; ſi intelligere, ac non ſomniare quæ dicant, quiſquã credat: ſi de ulla omnino re inter eos conſtare inueniat: ſi non alterũ alterius opinionem irridere, nõ uos retineo, neq; recuſo, quin præclarum hoc iuris ciuilis ſtudium omnes relinquatis, ac uos ad illos conferatis. Age uero ab Ariſtotele tot controuerſiæ ſedatæne ſunt, ut noſtræ ætatis Philoſophi impudentiſſime mẽtiuntur? nequaquam. Etenim is in naturæ primordijs nullam certam doctrinã affert, nihil explorati dicit, quod nos ad per-

sectam eorum cognitionem ducat. Nam cum tria ponat naturæ principia, quæ ea sint, planè explanare non potest. Materiam enim primam ex qua omnia uult constare, quid sit, omnino nescit definire. tantum id assequitur, ut doceat nullã omnino rẽ ex omnibus esse. Materia, inquit, est id, quod neq; est hoc, neq; illud, neq; omnino quicquam aliud. Si cætera tua Aristoteles sunt eiusmodi, omnino te præclare habes. An nõ minores de te risus excitares, si quod tu ingenio assequi non potuisti, id planè nesciri ab omnibus posse dixisses, quàm affirmare te scire id, quod, quid sit, docere nescias? Age uero ad formæ notitiam melius credo peruenit. Cedò mihi quæ sit ultima rerum forma. Non tanti (inquit) in rerũ cognitione progressus haberi possunt, ut omnia aperte, exploratéq; tradantur. Quid ergo a uobis discamus? At saltem forma hæc quid sit definire ne pigeat. Ne id quidem scit. Tantum efficientiã quandam formæ tradit, eam formam esse, quæ rebus ut sint, tribuat, quid uerò sit ipsa forma nos docere non potest. Credo uos Adolescentes multo minus expectare, ut uos doceat homo doctus quid sit priuatio, quæ omnino non est, cum ea, quæ sunt, hoc est materia & forma, docere nesciuerit. Ita de priuatione incerta tradit, ut plurima dissensio inter eius sectatores nata sit, utrum cœli materia & horum inferiorũ in quæ ortus & interitus cadit, eadem res sit, an diuersa? Cum igitur principia ipsa tam apud illos incerta sint, tam ignota, tam obscura, qui reliquarum rerum a principijs ortum habentiũ, cognitionem assequi possunt? Post Aristotelẽ uero an nõ multæ Philosophorum sectæ extiterunt de singulis ferè rebus nõ minus, quàm superiores inter se dissentientes? At ij omnes libros Aristotelis, ut nos, habebant; partim etiam disputantem

hominem audierant;neq; tamen uel eius auctoritati tantum dabant, uel eius rationibus ita permouebantur, ut non & ipsi suum iudicium adhiberent, & ab illo sicut a cæteris, dissentirent. quorum omnium prudentissimi habentur Academici, qui a rebus tam incertis assensionem cohibuerint. Mihi autem pudori suo potius consuluisse uidentur, quàm ullam prudẽtiæ laudem assecuti. nam quod assentiendi arrogantiam effugerint, in eo laudanda est eorum modestia, quòd uero tantam diligentiam, tamq; multum studium ac laborem in rebus, quæ sciri non posse fateantur, inuestigãdis posuerint, nescio quàm sapienter fecerint. Pollicitus sum uobis adolescentes me in illis refellẽdis testibus quoq; usurũ. quod me præstitisse planè puto. nam quod grauius, aut locupletius testimonium inanis illorum studij esse possit, quàm tanta de omnibus rebus inter ipsos dissensio? illine cum suis cõtrouersiis fidem sibi mutuo derogent, cum alter alterius opinionem oppugnet, cum suam quisq; ueram esse contendat, cæterorum falsam demonstret, cum tota una secta, eaq; in primis nobilis, ne sua quidem affirmet, & reliquorum omnia euertat; Cum Plato Philosophorum Deus totam hanc naturalium cœlestiumq; rerum doctrinam nihil certi afferre, sed uerisimilitudinem consectari fateatur, eamq; non Physiologiam sed εἰκοτολογίαν appellet, quin etiã durius eã alius uocet hoc est ματαιολογίαν. eius inanitatem uocabo exprimens; Xenophonq; eorũ, qui scripserunt longe grauissimus, neget uirum sapientissimum Socratẽ Philosophiæ penè parentem, de ullis rebus præterquam ciuilibus, ijsq; quæ ad mores, uitamq; hominum pertinent, unquam disputasse; multiq; præterea grauissimi uiri totum hoc studiũ diuinis scriptis suis irrideant, ac lacerent; tanta erunt impu-

dentia, ut aduerſus ſuummet teſtimonium fidem ſibi haberi a quoquam poſtulent? Verba Xenophontis in eo libro, qui περὶ τῆς ἀπομνημονευμάτων inſcribitur in latinum ſermonem conuerti. quæ ne pigeat quæſo adoleſcentes audire. Recita uerò puer grauiſſimi uiri contra iſtorum inaniſſimum ſtudium, teſtimonium; cauſæq; noſtræ confirmationem.

Recita. Nemo autem Socratem quicquam impium aut nefarium, uel facientem uidit, uel dicentem unquam audiuit. Neq; enim de omnium rerum natura ut hominum quamplurimi diſputabat; neq; inueſtigabat, quæ ratio eſſet huius, qui a Captatoribus uocatur mundus; neq; quæ eſſet ſingularum cœleſtium rerum gignendarũ neceſſitas; quin cõtra eos deſipere demonſtrabat, qui in eiuſmodi rebus ſtudium ſuum ponebant. Nam primum quærebat, utrum cum ſe iam putarẽt humanas res perfecte aſſecutos, ad eiuſmodi rerum ſtudium accederent; an cum ea quæ ad homines pertinent, negligerent; de Diuiniſq; rebus quærerent, recte ſe facere arbitrarẽtur. Mirabatur uero ipſos non intelligere eiuſmodi res ab hominibus nequaquam percipi poſſe. Etenim eos, qui huiuſcemodi diſputationibus in primis ſubnixi ambulabant, plurimum inter ſe opinionibus diſcrepare; inſanientiumq; ſimillimos eſſe. Inſanientium. n. alios, quæ timẽda ſunt, nihil timere; alios ea etiam quæ non ſint timenda, formidare; alios turpe non putare omnia quæcunq; ea ſint, in totius populi conſpectu uel facere, uel dicere; alios ne prodeundum quidem in hominum conſpectum arbitrari; alios neque ſacrifica, neq; aras, neq; aliud quicquam ſacrorum uenerari; alios ſaxa & ligna in quæ inciderint, & fe-

ras colere; Ita de rerum natura inuestiganda laborantes alios existimare ea quæ sunt unum solum esse, alios autem infinita; alios omnia semper moueri; alios nihil unquam moueri, alios omnia gigni et interire; alios omnium rerum ortum & interitum negare. Quærebat præterea hæc de illis, an quemadmodum ij, qui res humanas didicerint, ea se putant assecutos, quibus & suis & quoruncunq; uoluerint rationibus, consulere possint; ita & qui Diuina persequuntur, an existiment, postquam cognouerint, qua necessitate quæque fiant, uentos se, cum uoluerint, & pluuias & tempestates facturos; uel aliud quicquam eiusmodi, cuius illis usus inciderit; uel tale quicquam nunquam sperent, satisq; illis sit si tantum cognouerint, quæ sit singularum eiusmodi rerum gignendarũ ratio. De ijs igitur hominibus, qui hæc tractarent, hæc ille dicebat; ipse uero de rebus humanis assidue disputabat, quærens quid esset pium, quid impium; quid pulchrũ, quid turpe; quid ius, quid iniuria; quid prudẽtia; quid stultitia; quid fortitudo, quid timiditas; quid ciuitas; quid ciuilis, quod hominum imperium, quis hominum imperio dignus; quæ, qui scirent, eos & honestos & bonos esse putabat; qui ignorarent eos seruiles homines recte uocari.

An ullum potest esse istorum leuitatis grauius testimonium? Audite nunc, quæ populi omnium sanctissimi, ac sapientissimi in Philosophos statuerint. Recita ex Atheneo.

Sophocles quidã Decreto oẽs Philosophos ex Attica exegit, cõtra quẽ orationẽ conscripsit Philo Aristotelis familiaris. defensionẽ Sophoclis Demochares fecit, Demostenis sororis filius. Et Romani homines omniũ optimi Roma captatores

tores expulerũt, a quibus intelligerent iuuentutẽ corrũpi. Recita que paulo post adscribit de lacedemonijs.

Iure igitur complures Ciuitates in primisq; Lacedemonij (ut inquit Camæleon in libro de Simonide) Rhetoricã et Philosophiã excluserunt propter ueſtrã sermonũ iactã tiam & contentiones & intempestiuas ratiocinationes. Atq; illi cum hæc ita sint, in tam inanibus tamen rebus, tamq; a ueritate alienis summam hominis beatitudinem collocare non erubescunt. Quæ uero est ista uestra beatitudo? eam quæso nobis exponite. Neq; enim, ut omnia quæ dicitis, uera explorataq; sint, intelligere possum, cum cæteri tonitrua audiant, mare salsum gustent, conuersionem cœli uideant, qui maiorem beatitudinis partem attingat is, qui sciat præterea, quæ earum rerum causæ sint, quàm, qui nesciat. quasi uero idem ualeat (quomodo quidem isti studium suum extollunt) harum rerum causas uel scientia comprehendisse; atq; earum Dominum & auctorem (ut Xenophon dicit) factum esse; in potestateq; tua esse uentos, imbres, pluuias, fulgura inducere ac fugare; tempestatumq; uices arbitrio tuo mutare. Ego quidem librum Auerrois de Orbis Hypostasi legi, in quo strictim collegisse dicitur, quæ Aristoteles statuat de cœlo, hoc est de eius natura, utrum eadẽ sit materia eius, quæ in his terrestribus mutabilibusq; rebus. multa etiam de libris Physicorum & de his quæ μετὰ τὰ φυσικὰ inscribũtur mihi explanata sunt a nostræ ætatis Philosophis. Atq; ea omnia cum cognouissem, mitto quàm nugatoria mihi uisa sint, sed tamen, cum quæ dicunt, cognouissem, nihil mihi adeptus uisus sum; quamobrem beatiorem me, quàm prius esse existimarem. Quod si me nõ quæ sentiã, loqui, sed calumnia-

ri existimatis;iusiurandum dabo, me non mentiri, ac si quic-
quam esset in me sanctius, quo fidem meam uobis probarem,
uti non dubitarem. Itane uero? uos istis deliramentis beatitu
dinem definitis? O præclaram rem beatitudinẽ. næ illa haud
magno est æstimanda; næ ego haud multum laboro, ut bea-
tus sim, siquidem in istis uestris somnijs beatitudo posita est.
Mihi quidem quomodo beatos uos prædicatis longius a beati
tudine abesse uidemini quàm Luciani sutor. Is enim Re
gias illas opes non contemplari se sed adeptũ esse easq́; pos-
sidere somniãs lætabatur; uos res Diuinas ac cœlestes aspice-
re atq; intueri somniatis; sed ne intueri quidem somniatis.
Nanq; Aristoteles de Deo potius, quid nõ is sit ostẽdit, quàm
quid sit, intelligit. negatione (inquit) cognoscitur Deus. Quo-
modo istud narras? negando abs te Deum cognosci, illũ te du
cis cognoscere? quæ hæc est uerborum inter se pugna? Nõ pu
gnantia (inquit) loquor. quid ergo? rationẽ tandem istam tuã
nobis expone, ut mirari te desinamus. Deum nego ullam rẽ
esse ex omnibus, quæ uidemus, quæq́; intelligere possumus;
purissimam quandam rem ab omni materia abductam, ac se-
gregatam dico. quam igitur ego uoluptatem capiam, ad quam
beatitudinem perueniam eam rem contemplando, quæ cogita
tionis & intelligentiæ meæ uim effugiat? ò præclarum uirũ,
qui in ea re contemplanda beatitudinẽ posuerit, quæ sciri om
nino non possit, sed de ea tantum possit affirmari, nullam rẽ
ex omnibus creatis esse. Quæ uero erit differentia inter hũc
atq; illum, qui Chimæram quandam, quæ nulla ex rebus crea
tis sit, cogitatione sibi effingat; in eaq; contemplanda totã mẽ
tem defigat? Ite nunc iam, ac uos Philosophis in disciplinam
tradite, si beati esse cupitis. Atq; illi cum eos de firmissimo

præſidio deiecerimus, cum de munitiſſimo loco exturbauerimus, tantum abeſt, ut uel timore debilitentur, uel animos demittant, ut contra, e terra ſe erigant; ſeq́; iterum ad pugnam confirmẽt. Quare nos quoq; pari animi magnitudine cauſam noſtram armemus, redintegratisq́; uiribus ſperemus, quos in prima dimicatione uicerimus, eos in reliquis leuioribus prælijs pares nobis nequaquam futuros. Quanquã nihil eſt, quòd ullam in illis ſpem habeant. neq; enim periculum eſt, ut etiam ſi in illis ſuperiores euadant, reuiuiſcere iam poſſit ipſorum cauſa, tot uulneribus confecta, planeq́; iugulata. Et ego non tam ad uictoriam pugnare me paro, quæ prorſus iam parta eſt; Quid enim reliquum ſubſidium illis eſſe poſſit, cũ docuerimus omnem illorum operam inanem eſſe, quam in ijs rebus cognoſcendis ſumant, quæ cognoſci omnino non poſſit? quàm ut omnia ſpecioſa uerba, quæ ad ſtudij ſui commendationem ſolent decantitare, illis prorſus excutiamus, neq; ullo omnino loco eos conſiſtere ſinamus. Quare illos ipſorum ueſtigijs perſequamur. Igitur quæ propter ſe ipſa quæruntur, digniora eſſe prædicant ijs rebus, quæ ob alia quæruntur, ſcientiamq́; & contemplationem eſſe eiuſmodi. Quomodo hoc tandem ponunt? in eademne arte, atq; in eodem negotio, an in diuerſo? ſi in eodem; poſſumus id illis concedere. ſed nihil ea res ad nos pertinet. diuerſa enim maxime ratio eſt contemplationis eius, quæ ad ſciendum pertinet, & eius cui actio eſt propoſita. ſi in diuerſo; magnopere ab illis diſſentio. Etenim fieri poteſt, ut in una arte quod propter ſeipſum quæritur. finisq́; eſt eius artis extremus, de dignitate longe concedat ei rei, quæ in alia arte, alioq́; negotio non propter ſe ipſa quæratur, neq; finis ſit, ſed ad aliam rem dirigatur. Niſi uero fabrum li-

gnarium area perfecte absoluta, uel sutorem tunica perfecta, quod ea res in illis opificijs propter se ipsæ quærantur; neq; ijs perfectis quicquam reliquũ sit ulterius quod illa artificia spectet; uolumus aut fortissimo militi, aut impigro Equiti, aut uero egregio Tribuno militum anteferre; propterea quòd munus Tribuni in re bellica uel egregie præstitum propter se ipsum nihil sit, sed Imperatori iter ad uictoriã expediat Itaq; P. Decius qui Tribunus militum Romano exercitu in quendam saltum ab hostibus circunclusо, cum nulla euadendi spes ostenderetur, admirabili quadam ingenij ui, singulariq; animi magnitudine, quodam colle occupato, iter quo Imperator atq; exercitus, e manibus hostium incolumis elaberetur, patefecit, sutore tamen, qui illi militarem sagum, quo tum indutus erat, cõfecerat, ad dignitatem inferior erat; nimirũ quòd præclaro facinore suo nihil amplius sit assecutus, nisi ut Imperatori suo uiam ad salutem, atq; etiam uictoriam communiret. quæ res ex eorum scilicet genere est, quæ ad alia referũtur. Etenim in re militari omnia ad Victoriam diriguntur, quod est opus solum Imperatorium, at sutoris opificio nihil aliud est propositum, nisi uestis cõfectio; eaq; res ipsa propter se ab illa arte spectatur. scientia (inquit) Diuinarum rerũ ipsa propter se quæritur. Ideo ceteris rebus dignior, quæ ob alia quæruntur. Et quidem scientia naturæ apium & formicarum ipsa propter se quæritur. quid ergo? qui eã assecutus sit, ob id ipsum præstantior erit claro Senatore, cuius munus nõ propter se in rebus ciuilibus quæri dicent? Quid si doceo nihilo magis contemplationem et scientiam sui ipsam finem esse, quàm actionem, an non eorum argumentum totum iacebit? Id uero rem ad ueritatem quærenti, nec captionibus pugnan

ti facile ita arbitror poſſe patere. Neq; enim nobis nunc de ſingulis hominum actionibus eſt inſtituta diſputatio, quas alteram alterius cauſa ſuſcipi fatemur, ſimilemq́; eſſe in hac re contemplandi, ſciendiq́; rationem. neq; enim unanquanq; rem propter ſe ipſam inueſtigamus ac ſcire contendimus, ſed ut ex ea cognita ad præclarioris rei notitiam nobis gradus fiat. Non igitur nunc de ſingulis actionibus, ſed de perfectiſſima loquimur, quæ cæterarum rerum, quæ in actionem cadunt, finis eſt & terminus. Quid ergo vos? Negatis hanc extremum eſſe omnium rerum? Nos uero (inquiunt) negamus. neq; enim quemadmodum res naturæ præclariſſimas contemplor, ſcireq́; aueo ob id ipſum quòd hac ipſa ſcientiæ uoluptate teneor; nihilq́; ea ex re præterea quæro, ita in aliquo munere quanuis præclariſſimo obeundo mihi ſolum propoſitum eſt munus illud cum laude ſuſtinere, ſed aliud præterea quæro. Neq; enim Imperator egregie ac fortiter pugnat, ut cum laude pugnet, ſed ut uictoriam pariat; neq; Iurisconſultus conſulit, ut conſulat, ſed ut conſultor cauſam apud iudicē obtineat. Satis acute hoc quidem dicitis, ſed parum uere. id adeo more ueſtro facitis, nihil enim aliud agitis in diſputando, niſi ut laqueis ueſtris homines irretitos capiatis. Scio hunc uobis eſſe morem, ut non tam de ueritate aſſequenda, quàm de re acute concludenda laboretis. Noui uos. de inſtituto ueſtro diſcedere non poteſtis. Quid ſi ego ueſtriſmet telis de hoc uos loco deijcio? quid ſi ueſtromet teſtimonio ad uos refellendos utor? quid ſi ueſtriſmet argumentis doceo hanc inter actionem & contemplationem differentiā futilem rē, commentitiamq́; totam eſſe. Nam duos eſſe hominibus omniū rerum quaſcunq; uel agunt, uel contemplantur fines, alterum quod ſummum bonū

Diuinum uocatis; quod positũ est in rerum Diuinarũ contemplatione, atq; scientia, quam sapientiã uocatis; alterum, quod summũ bonum humanũ dicitis, quod ad actionẽ pertinet; quod positum est in uirtutis usu, a uobis scilicet Philosophis didici, qui hæc satis uerbose scriptis tradidistis. Quòd si is uirtutis usus summum est, extremumq́; bonum, quod idem beatitudo recte uocatur; eiusmodi planè esse necesse est, ut nullã aliam ob causam extra se, sed propter se ipsum quæratur; ac quemadmodũ sui ipsa est finis contemplatio, ueritatisq́; in Diuinis rebus inuestigandis assecutio; eamq́; Diuinam beatitudinem uocatis (quam tamen supra docuimus somnium potius beatitudinis esse, quàm ueram beatitudinem) Ita humanarum rerũ finis est hic ipse uirtutis usus; quem humanam beatitudinẽ appellatis. quæ uel se ipsa contenta sit, neq; aliud quicquam extra se quærat, necesse est, uel desinat uocari beatitudo. Quid uero opus est tam multis uerbis cum Aristoteles Deus iste uester duplicem agendi rationem faciat; alteram quæ ex se aliquid gignat, quod illi actioni sit propositum; alteram quæ sui ipsa finis sit, & modus, cuiusmodi ferè sunt uirtutes? Neq; enim quemadmodum sutor, nisi crepida absoluta finem opificij sui non est assecutus; ita uir prudens, uel iustus uel fortis, nisi aliud quid efficiat, aliudq́; opus appareat præter id quod fortiter, prudenter, iuste in rebus sit uersatus, uirtute usus nõ fuerit. fortunæ enim potius, quàm hominis est, aliud, quàm ipsam actionem, officium, uirtutem in rebus gerendis præstare. quam rationem nisi teneamus, fortunam uirtutis nostræ, beatitudinisq́; sociam, atq; adeo affectricem facere cogemur: quod ne ipsi quidem dicere audebunt. An in pugna Cannensi minus fortiter obijt Aemilius exercitu uel fortunæ iniu-

ria, uel collegæ temeritate amiſſo, quàm ſi eodem incolumi cecidiſſet? Aut in prælio cum Scipione commiſſo minorem optimi Imperatoris laudem Annibal tulit exercitu amiſſo, quàm idem tuliſſet uictoria apud Cannas de eisdem hoſtibus parta? Quid ergo? minusne fortis Aemelius; uel imperitior Annibal in Africa? minime. Quid ita? quia, quod clarorum, ac fortium uirorum fuit, quod a ſumma uirtute fuit expectandum; quod militaris ſcientia ſpecimen edere potuit, id homines clariſſimi præſtiterunt; quod fortuuæ fuit, præſtare non potuerunt. Vſi ſunt igitur ſummis uirtutibus, et quidem perfectiſſime uſi. finem igitur propoſitumq; tenuerunt, qui eſt is ipſe uirtutis uſus. Neq; enim ſi egregius orator, cum apte, copioſe, ornateq; dixerit, cauſam apud Iudices non obtineat, hoc de illius gloria quicquam debet detrahere. nam ipſe finem ſuum bene dicendo conſequitur. Virtus enim in nobis ſita eſt, neque extrinſecus pendet. Quod ſi aliquando caſu fit, ut nõ eã utilitatem a uirtute præcellentis uiri accipiamus, quam expectauerimus; id totum aſſignandũ eſt fortunæ; is nulla in culpa uerſatur. quippe qui munus ſuum, uel iuſtitiæ, uel prudentiæ, uel fortitudinis obierit; eoq; obeundo finem ſuum, hoc eſt uirtutis uſum, ut ſæpe iam diximus, ſit conſecutus. An cũ Menãder Philemone nequaquam pari ſcriptore deſipientis populi plauſu ac fauore in comparatione inferior, exploſusq; diſcederet e Scena, iccirco minus finem Poetices artis aſſecutũ illum exiſtimabimus, quàm Philemonem? quem cum Menander in uia forte obuium habuiſſet, quæſo (inquit) Philemõ bona uenia dic mihi, cum me uincis, an non erubeſcis? Et Euripidem ferunt, cum is quinq; & ſeptuaginta Tragœdias ſcripſerit in quinque ſolis uiciſſe, cum in cæteris ſemper ab igno

bilibus Poetis uictus sit. Retinendum est igitur diligenter, officium sui ipsum finem esse, ac terminum; ne beatitudinem, finemq; humanæ uirtutis fortunæ aßignemus; eaq; quæ a uirtute pariũtur, ut ab Imperatore uictoria; a bono Senatore Ciuitatis tranquillitas & concordia, nõ tam fines esse appellandos, quàm uirtutis fructus; virumq; bonum ac præclarum, cum is aliquid fortiter, pie, iuste, prudenterq; egerit, tum finẽ suum, uirtute utendo planè eßse aßecutum. quod si aliquãdo hæc minus fructuosa sint, eius rei culpam uel fortunæ, uel hominum inscitiæ, uel inuidiæ, ac maleuolentiæ uel eiusmodi alicui rei tribuere debemus. Age uero, si hoc fundamento, cui maxime scientiæ & contemplationis dignitas innitebatur, scientiam & contemplationem propter se ipsas, quæri, omnino sublato, cum docuerimus id ad rerum dignitatem non esse perpetuum; et hoc idem in actione suscipiẽdum esse, tota hæc ratio, uacillat iam (ut uidetis) ac nutat; ad alia, quæ proposuerunt, omnibus innatam esse sciendi cupiditatem, nullumq; proprium opus hominis esse ea ratione quod homo sit, nisi contẽplationem, tollenda accedamus; quibus funditus & ipsis delectis hoc reliquum propugnaculum, quod scientiæ, contemplationisq; dignitate nititur, concidet penitus, atq; iacebit. Igitur omnibus (inquiunt) cognoscẽdi sciendiq; cupiditas innata est. Eiusdem ne rei, atq; eius cuius uos studio tenemini, an uariarũ? ut ad uarias artes, uariasq; res homines naturæ propensione nascuntur. Si scientiam uestro uni studio assumitis, si eã uestrarum rerum notitia definitis, ac circunscribitis; mendacium impudens. quotus enim quisq; est, qui uestra ista Diuinarum, cœlestiumq; rerũ mysteria atq; istas naturæ caussas cupiat scire? Ego quidem tantum absum ab ista cupiditate,

ut derisui

ut derisui mihi ſint omnes quoſcunque tam ſuperuacancas res conſectari, quoſcunq; hoc inſanabili morbo correptos uideo. Ego autem; an omnes, quicũq; de rebus humanis recte, ſapienterq; exiſtimant? ſi eius rei, ad quã quisq; a natura propenſionem habet; eius ipſius cognoſcendæ ardore unumquenque flagrare dicitis; hoc mihi uobiſcum conuenit. quæ ratio cum omnibus ſtudijs atq; artibus communis ſit, neq; ab illa ullus omnino excludatur; non Imperator, nõ Iuriſconſultus non Orator, non Poeta; non (ut de minoribus artificijs loquamur) nauis Gubernator; non Pictor, non faber; non intelligo quid in communi cauſa proprij momenti uobis arrogare poſſitis. Atq; ego nunc, quaſi ipſi earum rerum, quarũ ſtudio efferuntur, quicquam ſcientia aſſequantur, ita diſputaui. Cũ uero docuerim ſapientes iſtos non cognoſcere, ſed conijcere; nõ intelligere, ſed ſuſpicari; non explorate percipere, ſed diuinare; non certa ſed fortuita loqui; an non proiectæ eſt cuiuſdam impudentiæ, eã rem, cuius ne partem quidẽ attingere debeãt, ſibi totam aſſumere, ac de communis rei poſſeſſione reliquos exturbare; cuiusq; laudis eis nulla pars debetur, eius ne ſocios quidẽ alios ferre? Hic uideo illos ſe erigere, capite & manu ſignificare; magnã cupiditatẽ nos interpellandi oſtendere. Magnum aliquid profectò allaturos ſeſe cõtra noſtrã hãc rationem demonſtrant. quos quãquam non dubito (ut ait Comicus) magno conatu magnas nugas dicturos, audiamus tamen. Quare procedite in medium, ac totum iſtud, cuius proferẽdi tantum deſiderium præ uobis fertis, quid ſit exponite. Inſcitia (inquiunt) ueſtra in diſputando, tarditasq; in percipiẽdo facit, ut nõ ſatis teneatis, quæ noſtra ſit de ſciẽtia ſentẽtia; Nã damus uobis omnes homines earũ rerum, quarũ

studio ducuntur, scientiam persequi. Sed ijdem non scientiæ ipsius amore scire cupiunt, sed aliud præterea (ut uosipsi intelligitis) spectant. Hinc fit, ut in ijs scientia a sua dignitate desciscat, neq; propter se ipsa quæratur, sed actioni famuletur. Quapropter neq; scientiæ amore teneri; neq; in scientiæ studio uersari; neq; scientes omnino sunt ij censendi, qui ad aliũ usum, quàm ad se ipsam scientiam quærunt; neq; naturam Ducem sequi sunt existimandi, quæ (ut initio proposuimus) hanc sciendi cupiditatem ob se ipsam in mentibus hominum infixit. At Philosophi naturæ monitis, atq; (ut ita dixerim) præscripto studium suum accõmodant. qui cum animaduertant nihil pulchrius, nihilq; præstabilius esse, quàm scire, scientiam ipsam propter se quærunt; & quidem earum rerũ, quæ scientia sint dignissimæ, hoc est Diuinarum & in natura præclarissimarum, neq; præclarissimo naturæ munere, hoc est scientia abutuntur; neq; (ut cæteri) quæ libera, neq; ullo modo ad seruiendum nata est, eam sordidis rebus seruire, & (quo nihil indignius dici potest) humanæ utilitatis quasi famulam faciunt. Dixin uobis Adolescentes hoc fore? homines acutulos aliquam captiunculam ad speciem satis insignem reperturos; eam tamen quæ parum acute perspicientibus errorem possit obijcere? Non mihi quidem, nec uobis arbitror, si aciem ingenij uestri bene notam, ac perspectam habeo. Accipiat ergo quàm paucis uerbis ex hoc illorum laqueo, quamq; facile me expediam. Nego ullius rei appetitum hominibus a natura datum ob eam ipsam rem, quam appetit. quæ res planior est, atq; illustrior, quàm ut uel rationibus sit confirmãda, uel exemplis demonstranda; cum præsertim ne uos quidem hoc negetis. Quomodo ergo scientiæ cupiditatem eximiam facia-

stis? quòd id (inquit) natura planè docet. Etenim nullus est omnino hominum; quanuis ad agendum natus, quanuis sui negotij gerens, quanuis ab humanitate alienus, quãuis ab omni elegantia, ab omni politiore studio abhorrens, qui non multa scire cupiat, & quidem ob eam causam, ut sciat. Quid ergo? hac uos ratione confirmare existimatis, quod contenditis? Quid si ego aliqua profero, quæ æque atq; scientia ab omnibus propter se ipsa quæruntur, neq; tamen sui ipsa fines sint, & termini, sed ad alium præterea usum hominibus, a natura data sint? an non ea similitudine uicti pertinaciæ uestræ finem tandem facietis? an non patiemini scientiam in cæterarum rerum ordinem cogi; nulloq; eximio iure esse, cum oculis uideritis, esse aliquas res, quæ ad alium usum hominibus a natura datæ sint, quas tamen homines uel semper, uel sæpissime propter se ipsas quærant? Quæ uero eæ sunt? Appetitus omnes, illeq; in primis, qui est uenereæ coniunctionis, qui cum procreationis causa, humaniq; generis sobole perpetuo conseruãdi, sit hominibus a natura tributus (quod nemini, uel obscurum, uel dubium esse potest) ab hominibus tamen sæpissime non ob eam causam hæc coniunctio quæritur, quæ fuit naturæ proposita, sed propter se ipsam. neq; enim quicquam homines ferè ardentius, quàm hanc uoluptatẽ sequuntur, neq; ulla libidine magis efferuntur; usq; adeo ut maxima pars hominum pudoris obliti, interdum & ualetudini parum prospicientes, huic se libidini constringendos tradant. Cuius tanta uis est, ut sæpe cogat pios alioqui ac sanctos uiros leges uiolare, omniaq; Diuina & humana iura præ hac cupiditate, leuia existimare; non religionis, nõ professionis, non suscepti uoti, non cognationis, non amicitiæ

rationem ducere. Quid ita? quod natura hanc ueneream con iunctionẽ tanta uoluptate perfudit, ut nullius rei sensus sit iucundior. Quotus uero quisq; est, cui procreationis ueniat in mentem, cum hac libidine inceditur atq; cum hoc æstu abripitur? Neq; enim uel a scortis, uel ab alienis uxoribus, uel ẽt a suismet coniugibus grauidis factis prolẽ homines quærũt, sed uoluptatem, neq; fœmina cum prægnãs est, uiri concubitum aspernatur, aut fugit, sed multo ardẽtius cupit, quod maiore uoluptate tum eius sensus titilletur. Num igitur uel uehementius esse, uel latius patere sciendi studium, ac cupiditatem, quam hanc libidinem dicere audebitis? Non uos arbitror ita impudẽtes, qui in re tã aperta mẽtiri audeatis. Quod si ea res, quæ ob se ipsa ab hominibus in primis expetitur, ad aliam tamẽ rẽ hominibus est a natura tributa, idest ad procreandũ; intelligere oẽs planè possunt, non quicquid ab hominibus propter se ipsum, expetitur, id propter se ipsum neq; alterius rei causa hominibus a natura datũ. Eadẽ ferè ratio ẽ reliquorũ appetituũ, quibus ad multas utilitates, plurimosq; usus a natura datis ad uoluptatẽ tamẽ sæpe abutimur. An qs quã est; q hoc possit negare? Quare aut aliud afferte, quãobrẽ credamus scientiam præter seipsam nihil habere propositum (id quod nulla ratione unquam efficietis) Aut si nihil aliud habetis, quàm quod homines interdum nulla præterea de causa, quàm hac ipsa, ut sciant, scire cupiunt; cum hoc argumẽtum & Veneris & reliquarum rerum appetitus similitudo de manibus uobis extorqueat, uicti tandem manus date. Atq; ego in hoc genere mirari uos soleo, qui cum hoc uobis assumatis, ut de rebus subtilius, quàm alij disputetis & in ipsis acutius cernatis, dilucidiusq; eas distinguatis; hoc tamen nunquam uideritis, permagni interesse utrum res aliqua propter

ſe ipſa a natura quæratur, ſitq́; ultimus naturæ finis, an uel nimia quadam ſenſus titillatione, uel eius animæ partis, quæ ad intelligendum eſt nata, ſuaui quodam motu & excitatione quadam atq; impulſu homines ad ſeſe trahat, atq; alliciat; ueluti hæc maris & fœminæ coniunctio; quam propter ſe ipſam non quæri, argumẽto ſunt omnes ferè beſtiæ, quæ grauidæ factæ maris concubitum fugiunt; reliquiq; (ut diximus) appetitus, et hæc ipſa ſcientia, cuius eãdem rationem fecimus. Ac mihi quidẽ diligenter quærenti, mentemq́; in eam cogitationem penitus inijcienti, quid eſſet, quòd cum ex ijs rebus, quibus animi ſenſuumq́; noſtrorũ uis & motus excitantur, atq; impelluntur, nulla eſſet, quam illius motus finem, qui propter ſe ipſe expeteretur, natura feciſset, ſed aliam præterea utilitatem quæreret ex eo motu, eſsent tamen aliquæ res, quæ ſenſus noſtros & intelligendi uim ſua tantum ſuauitate, cum ipſi nullum præterea emolumentum ſpectent, ad ſe allicerent; ut hæc ipſa in primis Venerea coniunctio & ſcientiæ cupiditas; quanquam non is ſum, qui intimis naturæ conſilijs, ut uos, adhibear (iſtam enim laudem libenter uobis totam relinquo) tamen uerıſimillimum uidetur, illud fuiſse prouidens naturæ ac ſapiens conſilium, ut cũ tanta eſset; tamq́; late pateret harum duarum rerũ utilitas atq; emolumentum, quippe quòd in altera ineſſet humani generis conſeruatio; in altera omnium rerum quæcunq; in actionem cadunt, recte adminiſtrãdarum ratio; neq; enim ſine eius rei, quam tractamus, ſcientia quicquam recte unquã faciemus; plurima uoluptate, ac ſuauitate fuerint hæ duæ res perfundendæ; quæ ſenſus, intelligentiamq́; noſtram uehemẽtiſſimo impetu ad ſe ſe raperent; illosq́; ita afficerent, ut in tanta uoluptatis, ſuauitatisq́; abundantia utilitas ex ijs re

bus, quam in primis, uereq; natura spectat, obscuraretur; neq; appareret. Cum præsertim nulla res magis ad omnia perficienda (ut uos dicitis) iter expediat, quàm uoluptas. sed siue hoc, siue aliud fuerit naturæ consilium, non multũ ad nos pertinere arbitramur. nam nos (ut dixi) non ualde laboramus, ut ad intima naturæ consilia perueniamus; neq; huius laudis partem aliquam appetere conati unquam sumus, quam totam uobis libentissime remittimus. Ut igitur ad inceptum reuertamur; Scientiæ cupiditatem nullo alio sæpe emolumẽto, quàm sua suauitate homines ducere, nobis uobiscum cõuenit; eamq; rem cum re uenerea in primis, cumq; alijs appetitibus cõmunem esse ostendimus. Quod si rem ad eam naturæ interpretationem reuocare contenditis, ut ideo scientia res propter se natura expetibilis sit, hoc uobis est alia ratione probandum. nam hanc eadẽ similitudine uobis eripuimus. Extrema Philosophorum ratio fuit, eaq; qua in primis tota hæc contemplationis causa nititur, cõtemplationem eius partis esse, quæ propria hominis sit, quaq; una cum cætera omnia sint nobis cum bestijs communia, ab illis differamus; hoc est intelligendi ui. Quare contemplationem hominis tantum esse, solamq; eam homini conuenire ea ratione qua homo sit, cum reliquæ res, atq; actiones ea ratione hominibus conueniant, qua animantes sint. ex qua re efficitur, ut quantum cæteris animãtibus homo dignitate præstet, tantum contemplationem reliquis humanis rebus esse præferendam. quod argumentum quãuis uideatur contemplationis firmissimum fundamentum, tamen ita imbecillum est, ut se tollat seipso atq; euertat. Nam si uolunt ualere, humanarum rerum præstantissima res est, quod solius ingenij, intelligentiæq; opus sit; obsecro, non uident in

quàm multis rebus idem sit suscipiendum; In Geometria, in Arithmetica, in Astrologia, in Poetica, in facultate scribendæ historiæ? Etenim omnes hæ artes ac facultates unius ingenij, intelligentiæq; opera planè sunt. Neq; enim in metiendi, aut numerandi rationibus, astrorumq; conuersionibus animo agitandis, aut in Poemate conficiendo, historiaq; scribenda ulla alia re utimur, quàm ingenio & intelligentia. Quod igitur fuit hoc argumentum; quàm imbecillum; quod si maxime ualere concedatur Philosophorum contemplationi in humanis rebus non modo dignitatis primas non tribuat, sed potius detrahat? quippe quod cum multis alijs artibus, ac facultatibus eã dignitatem communicet; neq; Princeps quisquam in ea re esse possit, in cuius rei pari laude tam multos alios socios habeat. a qua societate nullo modo possunt eas artes excludere, nisi doceant Poema conficere non unius ingenij et intelligẽtiæ opus esse; id quod nulla ratione efficere possunt. Deinde cuius est arrogantiæ, atq; impudentiæ, hac ratione quod intelligentiæ opus sit, contemplationem reliquis humanis rebus anteferre, cum cæteræ artes, quas supra nominauimus, quæ eandem, paremq; illi solius intelligentiæ habent commendationem, nõ modo hoc idem sibi non assumant, sed æquo animo multis alijs rebus de dignitate concedant. Neq; enim egregius historiæ scriptor claro se Imperatori anteponit, aut operam suam militari gloriæ & labori anteferendam censet. Cum igitur hoc argumentum ita iaceat, ut nulla ratione erigi possit, quippe quòd suo ipsum se gladio confecerit, nulla causa est, cur nos ad illud euertendum aliquid præterea afferamus. Quanquam nonnulli fuerint, qui negarint, nos à Belluis intelligendi et ratiocinãdi ui differre. quã rẽ sũmus, et præstãtissimo ingenio

prælitus uir Plutarchus in libro, quem ſcripſit, De induſtria Animaliũ, copioſiſſime tractauit. De qua re quid mea ſtatuat opinio, in Oratione mea nunc poſiturus non ſum, cum res & diſputationem habeat longiſſimam; & uos ex eo libro quæ in hanc ſententiam dicuntur, cognoſcere poſſitis. Illud autem dicere non uerebor, aliam eſſe rem, quæ mihi quidem longiore nos interuallo a reliquis animãtibus diſtinguere uideatur, quàm hæc ipſa rationis et intelligẽtiæ vis. In qua exponẽda illud uos Adoleſcentes monitos uolo, nos ne hanc quidem rẽ, quam allaturi ſumus, putare reliquos animantes ab hominibus ſpecie ſegregare. quod & ipſi Philoſophi in brutis ſuſcipiũt, ut fateantur uerã extremamq; differentiam, qua belluæ inter ſe atq; etiam cæteræ res, altera ab altera differãt, ſe omnino neſcire. id nos latius patere dicimus, ad hominesq; eandem rationẽ perducimus, non in intelligendi modo ui, ſed ẽt in hac re, quam dicturi ſumus. quam longe maiore interuallo ſtatuimus, quam intelligendi uim, nos a reliquis animantibus ſeiungere in altioreq; dignitatis gradu collocare. Quæ uero tandem ea eſt? animi quædam magnitudo & celſitas; imperij, dignitatis, excellentiæ, gloriæ innata quædam in hominibus, inexplebilisq; cupiditas. quam non orbis modo terrarum capere non poſſit; ſed ne cœlum ipſum quidem continere. Huius rei in brutis uel omnino nullum ſignum uideo, uel ita exiguum, ut uix appareat: neq; enim imperandi, cæterisq; præſtandi deſiderium, uel pugnas inter eas excitat, uel iras exacuit, uel ingenium ad calliditatem fraudesq; & fallacias uerſat; ſed uel paſtus neceſſitas, uel explendæ libidinis appetitus bella & inſidias inter eas gignit. Ipſe enim leo, qui huius animi magnitudinis maxime particeps uidetur, nunquã pugnat,

ut quos uicerit, imperio suo subiungat, neq; eum uidemus qua si Regem uictarum belluarum ministerio, famulatuq; uti. In homine uero Dij immortales quantam, quàm perpetuam hanc animi celsitudinem; præcellendiq; & imperandi cupiditatem reperies? quàm nullam ætatem, nullum sexum, nullum ordinẽ, nullam nationẽ huius cupiditatis expertem? quàm omnia humana huc spectare? quàm omnia homines quæ agunt ad hanc rem dirigere? cuius tanta uis est, ut uitam ipsam, qua nihil hominibus est charius, præ illa, quamplurimi homines, ijq; præclarissimi leuem ducant. Tanta inquam huius animi celsitudinis uis est, ut ob eam solam animam profundere præcellentes uiri uel libentissime non dubitent. Nam quæ alia res homines & nationes ad bella & ad mutuam gentium internitionem impellit, quàm imperandi, præcellendiq; cupiditas? quæ illos in pugnæ ardorem, in media tela, in apertissimam mortẽ immittit, nisi gloriæ desiderium, etiam post mortem fructum hunc, quem præstantissimum putant, fortitudinis & gloriæ apud suos captans? quæ res ad singulare certamen rem tanti discriminis, tam dubij euentus, ubi alterum cadere plerunq; necesse sit, homines alacres facit atq; excitat, nisi hæc iniuriæ impatiens animi celsitudo? Qua uero de causa omnium rerum, quibus homines offenduntur, longe acerbissima est iniuria; ut rei familiaris iacturam, filiorum interitum fortes & magni uiri facile ferant; iniurias uero nullo modo ferre possint, nisi quòd in ea hæc animi celsitudo cernitur? qui .n. iniuriã accipit, is ab eo q facit, subiũgi quodã modo uidetur; illoq; esse inferior. quod humanæ naturæ celsitudo ferre nõ potest. Quid quòd in acie præualentibus hostibus sæpe homines per uirtutẽ cadere pugnantes malunt, quàm se in illorũ potestatẽ

tradere, ne animi demissionis ullũ signum edant? Iã uero quæ res Tyrannos cum tot exemplis reliquorum Tyrannorũ exitus admoneantur, cum tanta hominum maleuolentia se infestos intelligant; cum in perpetuo mortis metu uersentur; cum undiq; insidias, undiq; coniurationes timeant; Regno se abdicare, atq; ad priuatam uitam redire non patitur, nisi hæc animi celsitudo ad imperandum in primis nata? Neq; enim Dionisius, quanuis impendentis ensis metu ac periculo conuiuam a cibo capiendo deterruerit, ea ipse similitudine permotus Regnum deposuit. sed quid ego summos tantum uiros commemoro? quasi uero ullus omnino hominum sit, qui non hanc excellentiam & gloriam in primis spectet? qui non huc omnia sua referat? qui tantum laborem, studium, diligentiam, animi contentionem in præclaris artibus perdiscendis ob aliam rẽ, quàm ob gloriam excellendiq; cupiditatem suscipiat; ut etiã is ipse intelligendi appetitus gloriæ famulari uideatur. Neq; enim Philosophi ipsi tam de rebus, quas inuestigatione quærunt, inueniendis laborant, quàm de nomine suo ea ratione in aliquo numero apud homines ponendo. Vt etiam qui de contemnẽda gloria scripserunt, nomina libris inscripserint. Neq; præclaris rebus deditos homines uel iuri ciuili, uel eloquentiæ, uel etiam Poeticæ operam dantes, uel in mechanicarum artiũ pulcherrimis, nobilissimisq; uersantes insomnes noctes ducere cogit tam earum ipsarum artium amor ac studium, quàm excellentiæ, gloriæq; in iis ipsis artibus assequendæ desiderium. Age, si quis singulos homines interroget, utrũ summi Reges, an clari Philosophi esse malint, quotum quenq; de tot hominum millibus Philosophum responsurũ creditis? Ego quidem neminem credo, ne Philosophos ipsos quidem, qui se

Deorum ſimillimos dicunt, excludo. quid de pueris dicemus, quæ ætas ſimpliciſſima eſt, & apertiſſima, in eáq; manifeſta naturæ ſigna in primis apparent? quàm paucos uidemus intelligendi ſtudio teneri? ac non potius omnes ferè laborē diſcendi fugere, angiq́; & inuitos ad præceptorem accedere? At ijdem imperandi, excellendiq́; cupiditate ducuntur. Siquidem puerilibus rixis & pugnis Regna illa puerilia uidemus ambiri. Et hercule quæ alia res magis propria hominis ſit, quàm hæc imperandi, cæteriſq; præſtandi cupiditas? quā aliā rem laboribus, ſtudio, diligētia, periculis, dimicationibus, morte deniq; ipſa homines quærant, cum nulla alia re Deū ſuſpicere poſſint magis quàm quod omnibus rebus imperat; cum ſe nulla alia re ad illius ſimilitudinē propius accedere putent, quàm hoc in omnia, quæ creata ſunt imperio? id quod etiā ſacræ literæ confirmare uidentur, in quibus legitur. Cū Deus in homine imaginem ſuam expreſſiſſet; ſuiq́; eum ſimilem feciſſet, continuo, ut quænam ſit hæc Dei ſimilitudo intelligatur, adſcribit Vates, dixitq́; illis Deus imperate piſcibus maris, uolucribus cœli, animantibus terræ. Qua igitur alia re reliquis hominibus præſtare ſtudeāt, quàm ea, qua in primis homines, a belluis differunt; Deorumq́; ſunt ſimillimi? Itaq; ad Ariſtotelis uel Platonis imagines nullum unquam clarum uirum fleuiſſe accepimus. Ad Alexandri uero illius Magni ſtatuam Iulius Cæſar quātus uir, quanto ingenio lachrymas tenere non potuit. Iam uero illud quantum eſt, quàm ſatis uel ipſum ſolū ad uictoriam; homines uel inuitos hanc animi celſitudinem amplitudiniſq; cupiditatem ſequi. Nam ab intelligendi diſcendiq́; ſtudio, uel rei familiaris procuratione, uel opum quærendarum auiditate, uel alijs ſæpe leuiſſimis rebus

abducimur; ab hoc uero amplitudinis excellentiæq; desiderio quæ res nos deducit? quod consilium huic re præuertere possumus? Cum præsertim intelligamus ea re fieri, ut solicitudinis, curarumq; plenam hanc uitam traducamus; eaq; dempta tranquilliorē nos cursum uitæ tenere posse; plurimumq; Philosophorum, eorumq;, qui uiuendi præcepta tradunt, negotium sit in hominibus ab hoc naturæ impetu reuocandis. qui omnes id mihi agere uidentur, ut hominibus humanitatem detrahāt, qui ab ea re homines reuocare studeant, qua in primis homines sunt. Quare si intelligentiæ tam multa tamq; expressa uestigia in brutis cernimus quanta in eo libro, quæ diximus, Plutarchus persequitur, huius uero animi celsitudinis, aut omnino nulla, aut perexigua; si in ijs ipsis hominibus intelligendi hoc, discendiq; studium in paucis omnino est, imperandi uero excellendiq; in omnibus; si ob hoc omnes ferè labores, curas, solicitudines, dimicationes homines suscipiūt; si hac cupiditate omnis ætas, omnis sexus, omnis ordo tenetur; si ad hanc homines omnia referunt; si hanc adeo omnibus rebus præuertunt, ut uitam ipsam præ illa contemnat; si hæc una res in nullis alijs animantibus cernitur; si hac potissimum in re naturam ducem homines sequuntur, quæ hoc desiderium omnium ardentissimum, hunc animi motum omnium uehementissimum omnibus hominibus dedit; si hoc in se ipsi omnes homines experiuntur, sentiunt; si ne inuiti quidem, totisq; uiribus contra nitentes ab hac naturæ potentissima ui, ab hoc uehementissimo impetu non auferri non possunt; Cuius tandem est inscitiæ, ullam rem aliam magis hominis propriā putare, præcipuamq; dignitatem hominibus detrahere; ac Diuinam propè similitudinem inuidere? Cum autem in hac re nul

lum sit contemplatricis illius intelligentiæ momentum; nullã nobis ad dignitatem & amplitudinem contemplatrix intelligentia muniat uiam; nullusq; eius sit ad hunc præclarissimũ naturæ motum hominis in primis proprium usus; sed opibus tantum actionis in ea re nitamur; actionisq; præsidio ad summos honores & summam potentiam perueniamus, reliquisq; hominibus præstemus & imperemus, quis iam erit tam pertinax, tam suæ opinionis retinens, qui magis propriam hominis contemplationem, quàm actionem audeat affirmare? Et adhuc non pudebit contemplationem istam uestram prudentiæ, quæ tota in actione consistit, atq; adeo est ipsa actio a ratione directa, anteferre, aut uero cum illa conferre? quæ Vrbes condidit; quæ homines siluis, ut feras, errantes in eas conuocauit; quæ illos ab agresti & immani uita ad humanitatem formauit; quæ sanctis legibus, præclaris institutis, optimis moribus, uarijsq; artificijs excoluit; quæ agros unicuiq; assignauit; quæ sine iniuria inter se homines uiuere; quæ iustitiam ac pacem colere docuit; quæ contentiones, discordias, rixas, bella modo cõsilio, modo eloquentia, modo armis tollit; quæ futura prospicit; præsentibus moderatur; omnes humanos casus regit; quæ uirtutis usum in homines inducit; quæ denique beatos illos planè efficit. ut non tanta, tamq; multa beneficia a natura ipsa propè quanta & quàm multa ab ea preditis uiris habeamus. In quibus uero hominibus Diuina effigies clarior inest; aut qui tandem Deo ad similitudinẽ uerius ac propius accidunt? Vos ne Philosophi, qui cõmentitijs nugis uestris nihil aliud consequimini, quàm ut linguam paulo subtilius, quàm cæteri ad disputandũ excoluisse uideamini; an uiri prudentes, atq; in rebus humanis gerẽdis uersantes? qui urbibus

condendis, omnibus rebus humanis regendis & prouidẽdis, beatis deniq; hominibus faciendis Deum quendam rerum cõditorem, rectorem, moderatorem, prouidentem beatitudinis auctorem nobis exprimunt? O Vitæ Dux ac moderatrix prudentia, quam tibi pro tantis meritis gratiam referamus? quos honores habeamus? illos nimirum quos tibi semper habuit antiquitas, ut homines te præditos, ac præcellentes Diuinis honoribus afficeret. Neq; enim Iupiter, Hercules, Liber, Aeacus, Minos, Romulus, cæteriq; Heroes ulla alia re, quàm rebus humanis præclare administrandis, Vrbibus condendis, legibus ferendis, in Deorum numerum retulit. Et Hercules a quibus Diuina beneficia accepissent; quos beatæ uitæ auctores agnoscerent, quibus alijs eos honoribus quàm Diuinis colerent? Proferte Vos nunc contra aliquod eiusmodi exemplum; atq; ostendite, si potestis, quo in honore uestra ista contemplatio apud homines fuerit; quis unquam in Deorum numero ea re sit collocatus, quòd causas naturæ sit subtiliter perscrutatus. Præclarius opus esse dicebatis Diuini numinis hanc ipsam cõtemplationem, quàm reliquas eiusdem actiones. Primum quã similitudinem habent in hac re uestra ista somnia cum Deo, qui seipse perfectissime intelligit? Deinde quis uobis hoc narrauit? Equidem de Diuinis rebus nec satis pie puto quicquam homines posse affirmare; neq; omnino fas esse aliquid de illis existimare, nisi ea, quæ Deus ipse nobis ostendit. Itaq; contẽplationem istam in Deo non uideo; neq; omnino qualis ea sit intelligo; prouidentiam, moderationem uideo; eiusq; similitudinem prudẽtes homines imitando persequuntur; atq; ita persequuntur, ut quanquã infinito quodam interuallo, innumerabilibusq; gradibus omnia præstantiora sint in Deo; proposi-

tum tamen assequantur, neq; aut inane sit illorum studium, aut labor & opera frustra suscepta uideatur. Ac quanquam contra hanc hominum contemplationem hæc, quæ diximus, satis uideri possunt, non grauabor tamen in hoc loco etiam aliquantum immorari, ut rem planiorem faciamus. Nempe igitur dicebatis Philosophi Dei nobilissimum opus esse sui ipsius contemplationem, ac tum planè beatum esse Deum cũ seipse intelligit & contemplatur; longéq; rem præclariorem esse ac meliorem, maioráq; ad Dei beatitudinẽ momenta habere hãc sui ipsius contemplationem, quàm prudentiam, ac cœlestiũ & humanarum rerum moderationem & gubernationem. Neq; id mirum, cum Dei actio ad externas res referatur; naturæq; & rerum, quæ creatæ sint, gubernationem spectet; at contemplatio Deo ipso terminetur; isq; Deus sui sit ipse in contemplãdo finis; neq; aliam ullam rem extra se propositam habeat. quod si opus tanto est nobilius, quanto id quod spectat, ac propositum habet nobilius est, quanto tandem interuallo cæteris omnibus Dei actionibus contemplatio dignitate præstabit? tãto hercule quanto Deus ipse rebus omnibus nobilitate antecellit. Accipite nunc, quæ ad hæc uerba, quorum nulla sunt ad speciem magis insignia respondeam. Primum nego eandem esse Dei & hominum in agendo rationem. Nam hæc finium differentia in homibus suscipi potest; a Diuina uero natura abhorret. Neq; enim in ulla omnino re, quam Deus agit, quicquam præter se ipsum finem habet, aut propositum; sed omnia quæ ab ipso proficiscuntur, ad eundem referuntur, ut tam in agendo, quàm in contemplãdo ipse suimet sit finis, neq; aliud quicquam præter semet in ipsis spectet. a qua re ne uos quidem dissensuros puto.

Deinde Aristoteles in Decimo libro Ethicorũ quomodo Deos colligit se ipsos contemplari? reliqua omni actione eos priuat, cũ illos neget, aut iustitiæ, aut fortitudinis, aut modestiæ, aut prudentiæ, aut ullius omnino morum uirtutis munera colere. neq; enim harum rerum Deorum uitam indigere. quare reliquum esse cum uiui sint, neq; omni prorsus careant actione, in assidua illos sui contemplatione esse; atq; hanc Deorum uitam appellat. O somnia; o res commentitias. Poetam ne fabulas de Dijs narrantem an Philosophum ratione disserentem modo audiuimus? Nam per illum ipsum immortalem Deum, de cuius natura disserimus, an non Deus in cœlestibus ac naturæ rebus temperandis ac regendis, ea uirtutum officia explicat, quibus tu illum priuabas? sine ulla ne prouidentia perpetuæ cœli conuersiones; tempestatum uicissitudines; elementorum paribus momentis libratæ uirtutes; terræ fœcunditas; sobolis propagationes existunt? Iam uero ut nulla earum rerum, quibus tu Deos priuas, in illos cadat, quomodo colligis, reliquum tantummodo esse, ut se ipsi cõtemplentur? An tu ex humana natura Diuinam fingis? nihilq; præterea in Deo esse uis, quod idem non sit in hominibus? nam in hominibus suscipi potest, si nihil agant, nihilq; contemplentur, reliquum nihil fieri, ideo tum illos mortuos esse. In Deo uero an non sexcentæ præterea res esse possunt, præter hanc ipsam contemplationem? quas non esse nulla ratione docere potes. sed quanquã omnibus liquido apparere potest, ex ijs rebus quas diximus, hanc Deorum contemplationem commentitiam rem esse, ac nugatoriam, tamen uobis gratificari Philosophi cupio, ac quod de Diuina contemplatione dicitis, in eo uobis assentiri. Itaq; do uobis nobilissimum opus esse in Deo sui ipsius cõtemplationẽ.

templationem. Quid tum? quid ex hoc efficere uultis? Nam quid aliud (inquiunt) quàm opus Dei præstantius illos exprimere, qui contemplationi sese dedunt, quàm qui actioni; ideoq; præstantiores esse homines, Deiq; similiores & ad Diuinam beatitudinem propius accedere, qui hac contemplatione fruuntur, quàm qui res humanas procurant, ac regunt; contemplationemq; hanc actioni dignitate esse præferendã. Satis percipio Philosophi; Inhibete orationẽ; ac diligenter quæ ad hæc dico, attẽdite. Nego inter Dei et hominũ contemplationẽ similitudinẽ, aut cõparationem recte suscipi; neq; si in Deo contemplationem uolumus reliqua opera Dei præstantia & beatitudine anteire, hoc in hominibus ualere ullo modo concedo. sed sic statuo, ut in Deo contemplatio infinito interuallo reliquis Dei operibus nobilitate antecellit, ita ad homines hanc similitudinem nequaquam posse transferri, aut ulla ratione accõmodari, in quibus assero totam hanc contemplandi rationẽ nugatoriam rem esse, planeq; futilem & commentitiam. id adeo in multis rebus usu uenire Comicus dicit. Multa esse (inquit) quamobrem cum duo idem faciant, dicas huic hoc licere, illi non item; non quòd dissimilis res sit, sed quòd is qui facit. Ita contemplatio hæc Dei, qua ille nihil præclarius agere potest; quaq; beatissimus efficitur, hominibus, ut eã Philosophi tractant, nullo modo potest conuenire. quod ne longius faciam, duabus rationibus longe firmioribus, quàm ut euerti possint manifestissime ostendo. Primum quòd Deus (ut dixi) cum se contemplatur, continuo, ac per se nullius ratiocinationis præsidio se ipse intelligit, ut labi, errare, falli non possit. Beatus est igitur Deus, qui se ipse possit intelligere & contẽplari. Cumq; hoc sit omniũ, quæ in eo sunt, præstantissimũ, ni

mirum hoc opus illi continenter est urgendum. At homines qua tandem ratione ad hanc Dei notitiam possunt peruenire? nulla sanè. quod superius demonstrauimus tum ex ratiocinandi ratione ab effectis ad causas, quæ nullam stabilem, aut certam, aut exploratam scientiam affert, sed errantem ac dubiam opinionem & coniecturam; tum ex humani ingenij imbecillitate; tum ex omnium Philosophorum inter se dissentientibus de omnibus rebus, quascunq; tractant, discrepantibusq; sententijs. apud quos de nulla, uel minima re, quæ inter manus nostras uersetur, quæ sub aspectum cadat, quæ in corporibus nostris sit, quam quotidie tractemus, satis constat, cum eius causam quærunt; nedum credendum sit illos primam omnium rerum causam tam ab oculis nostris, omniq; prorsus sensu remotam inuestigando, disputando ue posse percipere, ac Dei notitiam perfectam asequi. Deinde quid opus est tam multis uerbis, cum in hac re Philosophi sua seipsi oratione refellant; atq; ita refellant, ut etiam si demus illis eos ad omniũ rerum, quas quærunt & inuestigant, notitiam & ueritatem peruenire; si fateamur hoc ratiocinandi genere ab effectis ad causas omnia quæcunq; quærunt, scientia comprehendere; si nulla sit inter ipsos Philosophos de omnibus rebus, quas quærunt, siue illæ magnæ, siue paruæ, siue cœlestes, siue humanæ sint, discordia; sed de omnibus mirus opinionum consensus, tamen hæc cõtemplatio, cui tantum tribuunt, quam tantopere iactant, nullam nobilitatem habeat, cum suis ipsi uerbis omnem illi dignitatem planè detrahant; neq; hæc contemplationis dignitas ullo modo hærere possit, quã ipsi dum extollere uolunt, planè deprimunt. Etenim ex Philosophorum libris manifeste apparet, contemplationẽ hanc in Deo ab ea, quæ esse potest in hominibus, non gra

dibus tantum & infinito interuallo, sed (quod magis rem continet) specie differre; cum dicant Deum cum se intuetur et cõtẽplatur, naturã ipsum suam, qua nihil est perfectius, quidq; ipse sit, planè intelligere; in quo sita est in primis Dei beatitudo; Homines autem (ut ipsimet Philosophi docent) neq; naturam Dei, neq; quid ipse sit omnino quicquam intelligunt, aut uero intelligere poßunt, quem tantum affirmant negatione ab hominibus percipi posse; idest diuturna meditatione & inuestigatione tandem percipi; Deum nullam rem eße ex omnibus quas uidemus, aut cogitamus, sed rem quandam a cæteris omnibus rebus abstractam & separatam; omniumq; eorum quæ cæteris rebus accidunt, quæq; earum propria sunt, expertem & immunem. Quod contemplationis ac cognitionis genus quam tandem similitudinem habet cum illa contemplatione, quæ est in Deo optimo maximo; atq; adeo quam maiorem ab illa non gradibus solum sed specie dissimilitudinẽ habere potest? Itaq; miror uos homines acutos nõ uidere ex tã dissimilibus inter se rebus idẽ effici, aut simile quicquã nequaquã posse; neq; sequi ullo modo. Contemplatio in Deo omniũ, quas ipse agit, perfectissima res est, ergo idem in hominibus. Nam nulla est inter has duas contemplationes similitudinis ratio, immo summa distractio tum inuestigandi ratione, quòd illa per se continuo nulla ratiocinandi ope & ad ueritatem fiat; hæc imbecillissimo ratiocinandi genere, quod nihil certi affert; tum uero ipso contemplandi & intelligendi genere inter se longe diuersißimo. quorum cum illud quod est in Deo Diuinam ipsam naturam perfectam et absolutam demonstret, nimirum si hæc res Deũ beatißimum facit, cum ipse se quantus, quàm bonus, quàm perfectus sit, contempletur; hæc uero quæ in hominibus est, cum

ſpecie ſit tam diuerſa res, quippe quæ duntaxat doceat Deum nihil eſſe ex omnibus rebus, quas uidemus, aut intelligimus, quam tandem beatitudinem habere poteſt? Etenim cum e corpore hoc euolauerimus & Dei naturam, quidq́; ipſe ſit contemplabimur atq; intelligemus, tum fateor nos ab illa contemplatione infinito gaudio, animiq́; lætitia perfuſum iri; foreq́; ut beati planè efficiamur; neq; quicquã aliud cupiamus, quòd animus noſter in Dei cognitione & contemplatione, ad quam natus eſt, ac fertur, perfecte ſit acquieturus; neq; aliud extrinſecus quicquam ſit deſideraturus. quãquã ſcio uiros doctiſſimos non tam in hac Dei cognitione, quàm in quadam Diuini amoris flagrantia, Deiq́; amando fruitione hominis beatitudiem poſuiſſe. quorum opinio mihi quidem uidetur ad ueritatem propenſior. Sed tamen ut hominis beatitudo in cõtemplatione Dei poſita ſit, hoc uerum eſt, cum Deum cognoſcere poſſumus. Cũ uero nihil de Diuina natura intelligamus, ſed tantũmodo coniiciamus, nullam rem ex omnibus quæ creatæ ſint, Deum eſſe, non cœlum; non inferiores cœleſtium orbium intelligentias; nõ terras; non ullam ex animantibus, ſed rem quandam puram, perfectam, ab omni materia ſeiunctam, quam tandẽ non dico beatitudinem, ſed uoluptatem omnino percipimus? Itaq; deſinite aliquando huius contemplationis iactione ſubnixi, & elati ambulare; quam a Diuina tantam diſſimilitudinẽ habere uos ipſi fateamini; atq; intelligite longe propius ad Dei ſimilitudinem accedere illos uiros, qui in hominibus regendis rebusq́; humanis prudentia & iuſtitia moderandis eam Dei imaginem nobis uere exprimunt, quam Deus hominibus aperire uoluit & declarare, quo illam imitatione perſequeremur, quoq́; ad illam quam proxime poſſemus, accedere omni ſtudio contende

remus, quàm uos qui per summam temeritatem ad ea de Deo cognoscenda, quæ ille homines celare uoluit, penetrare conantes, non Dei similes euaditis, sed eorum potius gigantium, quorum stultam arrogantiam atq; audaciam cœlum petisse est in fabulis. Contemplationem igitur Dei perfectissimam, præstãtissimamq; omnium rem esse fateri possum, ac si ad eam peruenire possint, hanc homines cæteris rebus neglectis persequi oportere, ex qua beatissimi fiant, non repugnabo. Cum uero eam eiusmodi rem esse, quæ intelligentiæ nostræ uim effugiat & ipse ostenderim, & a uobis expresserim, qui eam in negatione ponatis, non ne summæ est stultitiæ, atq; hominum otio abutentium eam rem tot laboribus, ac uigilijs persequi, quam nullo modo assequi possis? Pulchrius est domicilium, longéq; sunt illæ sedes beatiores, magisq; optandus locus ille deliciarum plenus, ex quo Deus primum humani generis parentẽ expulit, quippe qui omnibus uoluptatibus redundet; in eóq; sit omnium dolorum uacuitas; neque illuc ulli curarum æstus aut solicitudinum stimuli, aut discordiarum flatus aspirent. Igitur si quis nos hortetur ut relicta hac terra, quam incolimus, omnibus illis rebus, quarum ille locus expers est, infestissima, ad tam quietas sedes omnes commigremus; sapiens hoc scilicet consilium omnes accipiamus; si quidem is qui consiliũ dat, iter monstret & expediat; nosq; in eum locum inducat. Cum uero ab illarum Regionum aditu Deus nos excluserit, cuius stultitiæ fuerit si quis fundis, agris, tota deniq; re sua relicta, omni se opera ad eum locum quærendum dedat? An non hanc hominis amentiam iure omnes rideant? Atqui respondere is possit longe beatissimum locum esse eum, quem quærit. Quis negat? sed eam rem quærere, quæ inueniri non possit, quan-

uis præclarißimam eam fingas, non ne extremæ est demẽtiæ? Huius hominis simillimi, planeq; gemini uos Philosophi estis, qui dum eam rem persequimini, ad quam humana conditio nõ potest ui sua aspirare, eam uitæ officijs, quibus humana societas continetur, per summam inscitiam anteponitis. At enim in rebus humanis gerendis ipsa etiam prudentia plerunq; labitur, neq; semper rectum cursum tenet; fitq; sæpissime, ut cũ de aliqua re paulo difficilior incidit deliberatio, sententijs inter consulentes uarietur. quorum alterum fieri potest, ut omnes fallantur; alterum certe fieri non potest, ut plus uno non fallatur, cum errationis uiæ sint infinitæ, recti cursus una duntaxat. Vt non minus incerta ratio actionis atq; prudẽtiæ, quã contemplationis esse uideatur. Quam rationem ut tardiora ingenia in laqueum induere poße uideo, ita miror homines, qui acuti uideri uolunt, plurimumq; in rebus perspicientes, in quotidianis sermonibus illa uti solere. nam primum non eadem est ratio, eademq; utilitas contemplationis atq; prudentiæ. nullum enim usum esse contemplationis uos ipsi fatemini, qui illam in maxima laude ob eam rem non in postremis ponatis, quòd ipsa propter se suaq; tantum dignitate, neq; ullo alio emolumento quæratur. At cum prudentiæ utilitate quam aliam rem conferre audeamus? Quare quanuis ab ea non omnia semper habeamus, quæ optamus, non debemus tamen multiplicem eius benignitatem in tantis, ac tam multis rebus aspernari. Deinde utrum tandem contemplationis incertæ rationi prudentiam, actionemq; confertis; an dicitis humanum consilium uel in rebus administrandis aliquando falli, fortunamq; illi aliquando & euentum non respondere? Si primum dicitis, mentiri uos supra ostendimus, cum nihil omnino explorati assequi posse

contemplationem istam uestram, tam multis rationibus, auctoritatibusq; uicerimus, prudentia uero Vrbes ædificauerit; eas habitatoribus frequentauerit; sanctissimas leges tulerit; quibus infinitis seculorum ætatibus tranquillam beatamq; uitam homines traduxerint; totq; alia beneficia hominibus importarit, ut Diuinorum honorum sibi haud immeritam gratiam relatam uiderit. Si secundum, non hoc prudentibus uiris est exprobandũ, sed humanarum rerum potius dolenda conditio, in quibus tantus sit fortunæ Dominatus, ut hominum consilium plerunq; illi par esse non possit. Neque enim eo abijcienda est ars nautica atq; aspernanda, quòd aliquando optimus Gubernator ui tempestatis obrutus fuerit, atq; oppressus; neq; Cartaginenses artis militaris imperitum aliquem ciuem exercitibus suis præficere debuissent Annibale præterito, quod is semel aciem amisisset. Neq; enim fortunæ iniuria ad præclararum artium & prudentium Virorum culpam, reprehensionemq; est reuocanda. Tanta enim est prudentiæ utilitas, ut ijs rebus, quas ipsa præstare potest, quæ quidem infinitæ sunt, ac maximæ, contenti esse debeamus; si omnia ab eadem habere non possimus humanam sortem agnoscere; non prudentiam accusare. At etiã negabant ad rerum dignitatem quicquam utilitatem ualere; quin etiam (ut sunt homines in ineptijs fundendis nulla uerecundia) dignitati utilitatem potius detrahere, quã aliquid afferre dicebant, quòd ea sit huius uerbi utilitatis uis, ac notio, ut quod utile est, alterius causa esse uideatur. Quæ res ita a ratione est aliena, ut contra ne cogitatione quidem fingere possimus ulla re alia, quàm utilitate dignitatem rerum esse metiẽdam. neq; enim uideo quid in dignitate rerum ponderanda

aliud homines sequantur, quàm utilitatem. Qua enim re præclarum legislatorē maxime suspicimus? utilitate. sanctis enim legibus suis tranquillæ, beatæq; uitæ hominibus est auctor. Qua re eximium oratorem admiramur? utilitate. in grauissimis enim Reipublicæ partibus administrandis, plurimus est eloquentiæ usus. Qua re optimum iurisconsultum in summo prætio habemus? utilitate. Concordiam enim & pacem inter ciues ciuilibus controuersiis tollendis tuetur. Qua re claro imperatori triumphos diuinosq; propè honores decernimus? utilitate. In eius enim tutela et leges et omnia ciuitatis posita sunt. Deniq; uirtutes ipsæ, qua alia re, quā utilitate laudātur? Quin etiam a sola utilitate uirtutes effici dico. Nulla.n.alia re uiros iustos, fortes, continentes, prudētes colimus et in honore habemus; iniustos cōtra, ignauos, incontinētes, stultos uituperamus, odioq; habemus nisi utilitate. Iustitia.n.fortitudine, cōtinētia, prudētia, cæterisq; uirtutibus humana societas cōtinetur; ideoq; præclaro hoc uirtutū nomine appellātur. Cōtra iniustitia, ignauia, incōtinentia, stultitia omnis societas euertitur funditusq; tollitur. Iure igitur hæc plurima detrimentorū importatio uitij nomē eis imposuit; quæ res sapientis Poetæ auctoritate et testimonio comprobatur. iusti enim et æqui utilitatem matrē appellat. Neq; ulla alia causa reperiri potest uirtutum a uitijs distinguendarum, quàm utilitas. Hic ego vos arbitror adolescentes contra hanc rationem nostram cogitationi uestræ tacitos subijcere, quæ in hoc genere sæpe iactari solent; fortes, iustos, & prudentes uiros etiam si nullam ab illis utilitatē habeamus, ab omnibus tamen sua tantum uirtute amari atq; coli; quo fieri ut etiam multis ante nos seculis mortuorum præcellentium & sanctorum uirorum memoriam ueneremur; sum-

moq;

moq́; amore prosequamur;a quibus tamen nullum beneficiũ, nullamq́; ipsi utilitatem quæramus. Contra iniusti, stulti, ignaui, sceleribus inquinati, etiam mortui ijs ipsis uitijs summo in hominum odio, despectuq́; iacent, cum ij tamen nihil nobis nocere possint. Vt uirtus nulla alia utilitate, quàm suamet commendatione ab omnibus amari uideatur, ac suspici; Contra uitium sua tantum turpitudine odio haberi atq; contemptui. Quare non ita permoueor, ut non me facile hunc locum tueri posse confidam. Neq; enim in rebus laudandis meam tantum utilitatem specto; neq; rerum dignitatem mea priuata utilitate definio. Etenim cuius hoc esset inscitiæ? sed de re nullis hominibus aut temporibus definita uniuerse disputo; uirtutemq́; ab utilitate effici dico, non mea sed uniuerse. Cumq́; clarissimi, ac sanctissimi uiri mortui amantur, ac suspiciuntur, rem ad eam interpretationem reuoco ut ideo amentur, quòd ciuitatibus suis utilissimi fuerint, talesq́; Principes in nostra Republica a nobis tacitis exoptentur, contra alij odio habeantur, quòd in ijs summa pernicies, magnumq́; dedecus ciuitatibus fuerit. Neq; enim uiuorum uirtus ulla alia re premijs & honoribus a Ciuitatibus afficiebatur quàm ea utilitate, quam ab illa Ciues illi capiebant; neq; nos ulla alia re mortuos amamus, quàm quòd ut natura ita beneuolentia coniuncti sumus hominibus iam mortuis, ac pro illis præstantissimorum uirorum uirtuti, quos illi Principes sortiti sunt, gratiam habemus. hac enim utilitate detracta inanis omnino res planeq́; ridicula erit uirtus. Fortem enim uirum hostium telis se ultro obijcientem, mortemq́; oppetentem ridebimus scilicet summæq́; dementiæ notabimus, Patriæ utilitate detracta; contra ignauum ac timidum aciem deserentem, salutiq́; suæ fuga consulentem laudabimus, pruden-

temq; uocabimus. Sed ſatis iam multa uerba adoleſcentes in eam ſententiam feciſſe uidemur, ut oſtenderemus hac rerum naturæ contemplatione Philoſophos nihil certi aut explorati aſſequi, atq; omnia fundamenta, quibus Philoſophorum cauſa innititur, tolleremus; omniaq; quæ defenſionem huius contemplationis in primis continent, euerteremus, cum in præcipuas rationes, quas pro ſe Philoſophi afferre ſoleant, quaſi in firmiſſima propugnacula inuaſerimus; deq; illis eos deiecerimus; nulloq; loco conſiſtere paſſi ſimus. Quapropter recte perorari poſſet hic locus. quod tamen prius facturi non ſumus, quàm nonnulla & Nos contra hanc eorum cōtemplationem afferamus, quibus ipſi, quemadmodum nos illorum rationibus fecimus, ſi poſſint, reſpondeant. ea enim argumenta in illos ſumus illaturi, quibus doceamus, nihilominus, ut ea quæ ſuperius diximus, magna ex parte falſa ſint; nihilominus, ut omnia quæ inueſtigatione et diſputatione quærunt, ſcientia aſſequantur; neq; dubiā, aut errantem & uagā opinionē (ut oſtēdimus) ſed certā, ſtabilemq; & exploratam de rerum naturæ cauſis ſcientiā habeant; eorū tamen ſtudiū inanē rē eſſe, planeq; nugatoriā; neq; cauſam ullā eſſe quamobrē homines hoc ſe moleſto negotio implicēt; Fruſtraq; ēt ſi ad omniū rerū, de quibus diſſerunt, ueritatē perueniāt, tantū, tāq; diuturnū laborē in eo ſtudio ab hominibus ſuſcipi, ut multi cæteris rebus neglectis, totam ætatē in eo conterant. quin etiam de aliquibus acceperimus, tanto eos harum rerum inueſtigandarum amore captos, tantaq; (ut uerius dicam) amentia correptos, ut oculos ſibi effoderent; atq; hunc cœli aſpectum ſibi ipſi eriperent, ne ab hac cogitatione, in quam mētem penitus iniecerant, atq; defixerant, tot, tamq; uariarum rerum pulcherrima ſpecie abducerentur, corporis

enim lumine, ut ipsi dicunt, carere maluerunt, quàm mentem cæcam gerere; ut uero ego puto, cum mentem assidua illa inuestigatione altioribus indies tenebris inuoluerent, ne corpus meliore conditione esset, ipsum quoq; luce priuasse. Nam per Deos immortales respondete mihi Philosophi, ut dem uobis, uos ad omnium, quæ quæritis ueritatem peruenire; quid tandem tot uigilijs, tanta mentis agitatione assequimini? Etenim si magnũ aliquid contemplatione ista uestra uos efficere ostẽderitis, multi fortasse ex nobis iuris ciuilis & reliquis doctrinæ studijs relictis ad uos sese conferent, inuestigationesq́; istas uestras uestigijs uestris persequentur. Agite igitur, exponite nobis quod in uestro isto studio operæpretium sit. an (ut dicere non dubitatis) beatitudo ipsa, an utilitas, an delectatio? In tanti.n. tamq́; diuturni laboris studio, nisi operam planè profundere uideri uultis, horum aliquod inesse oportet, aut summam utilitatem, aut singularem aliquam uoluptatem, aut (quod omnium rerum longe maximum est, & præstantissimum) beatitudinẽ ipsam. Igitur de his sigillatim quæramus. Ac de beatitudine quidem nihil est quod uerba faciamus, cum satis copiose, ut arbitramur, sit illa a nobis superius refutata; cũ docuerimus, ne minimã quidem partẽ, ac ne umbram quidem beatitudinis ex contemplatione ad homines peruenire. Igitur quæ tum diximus, omnia ex ea oratione sunt repetenda, atq; ad hunc locum accommodanda. quæ uobis adolescentes nondum arbitror memoria excidisse. De reliquis igitur duabus rebus quæramus, hoc est de utilitate & delectatione, quæ duæ res hominum studia ad sese attrahere ferè solent. Igitur utilitatem, quam tandem habere possumus ab hac rerum cœlestium & naturæ causarum inuestigatione; quamue ab illa opem petemus ad res

ciuiles administrandas, cum uos ipsi affirmetis cum singulæ tantum res in actionem cadant; naturæ uero inuestigatio uniuersa quærat; effici, ut qui paulo dilige͞tius studiū in rerum naturalium contemplatione ponant; in ijsq; inuestigationibus diutius immorentur, uniuersis rebus assiduè uersandis, a singulariū rerum quæ actionis sunt, facultate & scientia paulatim abduci; atq; ita ad res ciuiles gerendas indies minus idoneos fieri? Neq; id mirum cum hanc rerum ciuilium gerendarum scientiæ usus & tractatio pariat, augeat, ac perficiat. At etiā leges (si Dijs placet) ab hac contemplatione conditas fuisse dicunt. Etenim Philosophos cum acerrima mentis contentione ad rerum cœlestium cognitionem peruenissent; naturaliumq; rerum ordinem uidiſſe͞t, ac quemadmodum inferiores superioribus parerent; illisq; subijcerentur & ab eisdem gubernarentur, percepiſſent; ad illud exemplum res humanas formasse, legesq; quæ illum ordinem imitarentur, tulisse. Qua re quid nugacius, aut mendacius dici potest. Nam & Minos Cretensibus, & Charondas Carthaginensibus & Lycurgus Lacedemonijs, & Solon Atheniensibus leges multis ante seculis scripserunt, quàm auditæ essent hæ de rebus naturæ otiosorū hominum disputationes; Numamq; Pompilium Romam accersitum, ad res legibus constituendas legimus fuiſſe; non ob egregiam aliquam rerum naturalium scientiæ famam, sed quòd esset iurisconsultissimus. Horum uirorum quem tandem accepimus Philosophorū præceptis aut doctrina instructum ad Respublicas formandas acceſſiſſe? Neq; enim Lycurgo qui sanctissimas leges tulit, ullum unquam cum Philosophis commercium fuit; neq; illius legum monumenta, quæ adhuc extant Philosophorum quæstiones, aut naturæ inuestigationem ulla ex parte

redolent. Quin etiam in ipsis Philosophorum commentitijs legibus & Rebuspublicis aut nullam, aut perexiguam utilitatis partem ab hac naturalium causarum contemplatione profectam inuenimus. quæ tamen Philosophorum leges sunt eiusmodi, ita res absurdas interdum continent; cuius generis sunt Platonis uxorum communicatio, promiscuusq; concubitus, eademq; uirorum & mulierum officia; Aristotelis, ut alia flagitia prætercam, præposteræ Veneris cum uxoribus usus nobilibus permissus ad ægestatem filiorũ eorum paucitate uitandã; quodq; longè fœdius dictu est, aborta facere; ut risu sint a sanctis & prudentibus uiris explodendæ, a nullis certe populis sint admissæ; quin etiam sæpe a bene institutis ciuitatibus tanta Philosophorum, tamq; in omnibus rebus & cœlestibus & humanis loquacitas grauibus edictis expulsa. Illine legibus ferendis, populisq; regendis præficiantur, qui nullo usu rerũ humanarum eruditi, rerum naturæ cognitione duntaxat subleuati ad humanas res moderandas accedant? perinde quasi ex causarum unde uenti excitentur, cognitione habiles efficiamur ad uehementissimos seditionum uentos, turbulentasq; discordiarũ procellas intelligendas, regendas, & sedandas? in usu hæc posita sunt rerũq; ciuiliũ assidua tractatione, ingenijq; habilitate quadam. quod qui non intelligit, legumq; ferendarum scientiã ab usu rerum, quotidianaq; uitæ consuetudine ad naturæ causas conatur transferre; illud inani suo labore atq; inscitia assequitur, ut leges ferat potius ad risus hominum excitandos, quàm ad homines regendos aptas. Ac de utilitate quidem, quanquã multa alia addi possunt, breuitatis tamen causa hæc nobis in præsentia satis erunt. Nunc uenio ad uoluptatem, quæ res magnam uim habere solet ad hominum studia ad se rapiẽ-

da. Igitur quam tandem delectationem habent eiusmodi contẽplationes? Nam si de me alios possum iudicare, cum per multa quæ ab ipsis disseruntur, cognouissem, nulla unquam me sensi (ut isti de se dictitant) titillanti uoluptate perfundi. idem puto illis usu uenire. nisi forte alio sunt, atq; ego, sẽsu præditi. Atqui ego uix risum tenui cum nuper in libros quosdam a quodam nostræ ætatis homine scriptos de liberalis uitæ institutione incidissẽ, in cuius proemio dicit, infinita se animi uoluptate frui, cum cœlestium orbium conuersionis causas intelligit; cũ eorũ uim & efficientiam in hæc inferiora contemplatur; deniq; cum rationem uentorum, nimborum, salsedinis maris, cæterarumq; eiusmodi rerum cognoscit. si magnam se capere uoluptatem dixisset, ferrem hominem aliquo modo, ac rogarem quantam tãdem caperet? An ne tantam, quantum est cœlum ipsum? Cum uero infinitam dicat, quæro cum ipse finitus sit, quem locum infinita res in illo habere possit? quod si cauillari me dicet, quid refert me in re nugatoria cauillari, in qua ipse nos uelit ludificare? itane uero Philosophi? tanta ne est uobis cum rebus cœlestibus, atq; ijs quæ in aere, nostroq; hoc orbe fiunt affinitas et coniunctio, ut cum ad eas intelligentiam applicatis, infinita uoluptate titillemini; ad alios uero cum eadem intelligant, nulla huius uoluptatis pars perueniat? Ex uestris enim intimis sensibus, ac cogitationibus ex uobis Adolescẽtes quæro, quã tandẽ uoluptatem in ijs rebus percipiendis inesse putetis? Nam ego quidem cum de ipsis Philosophis discerem, eadem ne esset cœli forma, quæ inferiorum harum rerum, atq; alia eiusmodi multa, res mihi uidebãtur plenæ laboris, inanes uoluptatis; ut mihi uideretur Philosophorum studium summæ potius animi & ingenij contentionis; quæ res homines torquet, quàm ullius dele-

ctationis. quod etiam ipsi ostendunt, cum orationem ipsi suam factis refellunt, séq; mendacij liquido arguunt. Nam cum in harum nugarum acerrima meditatione aliquot horas sunt uersati, animi relaxationem quærunt. quæ res declarat, non illos tum in uoluptate fuisse; nam uoluptas ipsa summa est, ac præcipua, ac uero una penè animi relaxatio; sed in animi contentione, cuius remissionem aliqua oblectatione petunt. Quod si libeat illis concedere maximam esse huius contemplationis uoluptatem, quid tandem? tantane erunt uoluptatis momenta, ut grauibus, serijsq; negotijs ac studijs illam præferamus? atq; illud studium, ex quo nullam ad homines beatitudinem peruenire, nullam capi utilitatem demonstrauimus, uoluptatis tantum commendatione persequemur? Quid intererit inter homines hac mente præditos & eos qui præ ueneris & reliquis corporis uoluptatibus honesta studia negligunt ac uirtutem deserunt? Nec quicquam ad rem pertinet quod ueneris uoluptas corporis sit, huius contemplationis oblectatio in animo insit, cũ nos a negotijs gerendis, a uitæ officijs exequendis, ab humanis muneribus colendis utraq; res pariter abducat. Nam animi uoluptates ideo in laude poni solent, corporis uero in uituperatione iacere, quòd illæ maxima ad uirtutem habeant adiumenta, hæc uero ad uitia homines impellant. Quòd si contemplationis uoluptas æque ac uenerea ab officijs colendis homines auocat, non uideo in quo, cum hæc uituperetur, illa laudetur. Deinde, ut corpus ommitam, nullæ ne præterea sunt animi uoluptates, quàm rerum naturæ contemplatio? nonne Poema conficere, aut historiam scribere summam habet animi oblectationem? An putamus Virgilium, cum diuinum Poema conficeret, ac tam præclaras res ex Diuina ingenij ui depromeret; Aut

T. Liuium cum cœlesti propè ingenio tot egregias Romanorũ res gestas illustraret, minore in uoluptate fuisse, quàm Philosophos, cum somnia sua contemplantur? Atqui nullus horum tantum animi habet, aut tanta est arrogantia, aut uoluptati, quam ex rebus suis capit, tantum tribuit, ut eius causa studium suũ excellentium uirorum actionibus, ac rebus gestis anteponat. quorum uirtuti Salustius scribendæ historiæ gloria præstantissimus laborem suum inferiorem facit. Cum igitur hæc Philosophorum contemplatio etiam si omnium quæ quærit scientiã stabilem ac perfectam assequatur, neq; beatos homines faciat; neq; utilitatem ullã habeat; neq; si maxime habeat, ulla sit eximia uoluptatis commendatio, non uideo in quo studium istud uestrum Philosophi ullo in pretio sit habendum. Quapropter si Philosophos omnibus ipsorum uestigijs persecuti, nullo eos loco consistere passi sumus; si de omnibus præsidijs illos deiecimus; si ostendimus illorum contemplationem, nihil omnino certi, uel explorati assequi; idq; tũ ratione probauimus, tum ẽt grauissimorũ, doctissimorumq; hominũ auctoritate et testimonio confirmauimus; si demonstrauimus quæ propter se ipsa quærantur ea ijs quæ in alio genere propter alia quærantur, nequaquam esse nobiliora; si ipsam etiam actionem nihilominus quàm scientiam sui finem esse, suaq; dignitate quæri docuimus; quin etiã ipsam scientiam reliquis artibus, omniq; actioni communem esse; si ne sciẽtiam quidem propter se ipsam a natura quæri probauimus; si animi celsitudine maiore nos interuallo a reliquis animantibus, quàm intelligendi ui distare uicimus; si ad eam rem actionem retulimus, ab eaq; planè contemplationem disiunximus; si contra prudentia & actione omnes res humanas cõtineri docuimus; si ab illa Vrbes ædificatas, homines in eas cõ-

uocatos,

uocatos, leges latas, bonos mores, præclaráq; instituta inuenta, discordias sublatas, pacem & tranquillitatem inductam, bella propulsata, beatam deniq; uitam perfectam docuimus; ob easq; res tantas, tamq; præclaras Diuinorum honorum gratiam illi ab antiquitate relatam demonstrauimus; si rerum dignitatem utilitate metiti sumus; summamq; utilitatem actioni inesse demonstrauimus; quis esse possit, qui Philosophorum contemplationem rem inanissimam ac futilissimam actionis, prudentiæq; dignitati audeat conferre? Equidem neminẽ uestrum arbitror adolescentes esse (id quod uos uultu ac nutu uideo significare) qui ijs rationibus permotus mihi non assentiatur. Quis dubitet quin actio contemplatione infinito interuallo dignior sit, atque præstantior? præsertim si & ea quæ infra dicam cogitatione uolet effingere. Igitur uos appello clarissimi uiri, qui in humanis rebus gerendis, deq; hominibus bene merẽdo omne ingenium, omnem curam, laborem, industriã, omnem deniq; ætatem uestram posuistis. Vos optimi urbium conditores, qui homines ex agris prudentia, ingenioq; uestro euocãdos ipsam penè humanitatẽ illis dedisse uidemini. Vos sãctissimi legũ latores quorũ præclaris institutis Ciuitates atq; prouinciæ multis seculis steterunt. Vos egregij iurisconsulti quorum disputationibus, ingenio, doctrina, prudentia, ciuium cõcordia sublatis controuersijs magna ex parte continetur. Vos clarissimi oratores, quorum eloquẽtia concitatos illos seditionũ æstus sæpe compressit, Ciuilibus rebus moderata est; in quorumq; facultate magnum semper fuit innocentiæ præsidium. Vos in primis incliti Imperatores, in quorũ tutela atq; præsidio omnia humana, ac Diuina uersantur; qui a patria, a templis Deorum immortalium, ab aris, ac focis incẽdium, ab agris

uastitatem, a ciuibus uestris seruitutem arcendo; qui summis discriminibus uos offerendo, qui pro patria mortem fortiter obeundo, aditum uobis ad cœlestes honores aperuistis. Atq; hæc omnia cum feceritis, nonnulli tamen erant homunculi in otio, atq; umbra tabescentes, qui non minus in commentitiarũ rerum inanissimo studio uirtuti uestræ præferendo, quàm in ijs ipsis rebus persequendis delirarent. quorum tamen stultitia (quod interdum humani ingenij pudendum sit, in quo tam absurda opinio tandiu hærere potuerit) sectatores adhuc habet. quibus equidem credo uestræ uirtutis speciem in mente atq; oculis nunquam esse uersatam; nunquã illis uestræ prudẽtiæ, fortitudinis, uestrorum laborum, periculorum, sudoris in mentem uenisse; nunquam illos uestra diuina atq; immortalia beneficia, quæ ipsi cum cæteris hominibus a uobis habeant, animo, memoriáq; agitasse. Cum puer hucusq; legendo peruenisset, familiares nuntiarunt prandium corrumpi. Quare lectione intermissa Deo gratias egimus; lautisq; manibus accubuimus.

DE PHILOSOHPIAE ET IVRIS CIVILIS INTER SE COM PARATIONE.

AD CHRISTOPHORVM MA DRVTIVM CARDINALEM AMPLISSIMVM VBERTI FOLIETAE LIB. SECVNDVS.

QVA NAM RE FIERI PV tem Chriſtophore Madruti, cur cũ hominũ genus ad ſocietatem ſit et a natura creatũ, et a neceſſitate cõformatum; quippe quod mutua ſe ope deſerens, neque tutam omnino, neque beatam uitam poſſit traducere; ut merito ijs uiris, qui homines ab agreſti, immaniq; uita ſegregarint, eosq; urbium, legum, iuris, officiorum coniunctione deuinxerint, tanquam beatitudinis auctoribus Diuini honores habiti ſint, cõplures tamen omnibus ætatibus fuerint, qui eius muneris obliti, cuius in primis colendi cauſa nati ſint, ab hac ſe humana ſocietate ſeiungerent, in ſolitudinemq; concederent? An eam cauſam huic ſuo conſilio prætendent, ſi ſe dixerint neq; ciuilis cõſuetudinis odio impulſos, neque ſolitudinis amore captos, ſed ad minima malorum eligenda ab hominum cœtu emigraſſe, quòd urbanã hanc uitã uiderent maximis diſcordiarum et bellorum procellis agitatã & infeſtam, plurimaq; ſcelerum illuuie obrutam, atq; oppreſſam. quibus malis ne uexarentur, aut inquinarentur, procul ſe ab illis turbis atq; conta=

gionibus ætatem agere decreuisse? Quod tamẽ mihi ad excusa tionẽ nequaquam satis uidetur. Nã primum illud consiliũ nullo modo esse probandum statuo, quod si omnes sequantur, omnis humanæ societatis dissolutionem continuo existere necesse sit, qua re nihil omnino detestabilius dici potest. Deinde non illud a summa excellentium uirorum, quales se isti ferè haberi uolunt, uirtute expectatur, ut cum uideãt cæteros homines natura sibi coniunctos infinitis malis laborantes operam suam ipsi subtrahant; Quin contra in hominibus regendis et a uitijs reuocandis omnis uirtutis et ingenij uis potissimum est exprimẽda. Atque ea cum ita sint, plurimi tamẽ homines (ut diximus) semper fuerunt, qui hominum conspectum fugerẽt, et in siluis se abderent. quos eleganter a Socrate irrisos legimus, qui se in siluis aliquãdo fuisse dicit; cumq́; in illis aliquandiu commoratus esset, nullamq́; unquam ex tot arboribus sibi ad ea, quæ ipse rogasset, respondentem audisset, in urbẽ reuertisse, atq; qui in siluis ætatem agerent, eos non ferarum modo, sed stipitũ, atque truncorum sibi instar esse dixisse. Quorum similes atq; adeo gemini mihi uidentur ij, qui publicis muneribus neglectis humanarumq́; rerum procuratione reliquis permissa, in rerũ naturæ contemplatione, quod studiũ Philosophiam uocant, omnem operam suam ponendam putant. qui quanuis a nobis superiore libro satis sint reprehensi atq; exagitati, tamen ad ea præterea, quæ in eandem sententiam ad Sfondrati orationem ab hominibus doctis sunt disputata, memoriæ mandanda pergamus. Nam cum mensæ sublatæ essent Moronus Quid uos? Vt uisa est uobis (inquit) hæc orationis pars? Tum Antonius. Ea scilicet, quæ a tali ingenio fuit expectanda. Etenim siue uniuersam illam; siue singulas eius partes spectemus; siue ar

gumentorũ & rationum momenta ponderemus; siue copiam & flumen uerborum consideremus, siue uim perpendamus; siue in ornamenta & lumina intueamur, ea mihi uisa est; in qua nihil desiderem. Itaq; nihil mirum est tanta nunc in Sfondrato ingenij, eloquẽtiæ, doctrinæ, rerum gerẽdarum usus, prudentiæ inesse ornamenta, quanta in neminem omnino nostra ætate naturam & industriam congessisse arbitror, cum tam multarum ac magnarum uirtutũ in prima illa ætate tanta indoles fuerit. Hic ego cum Gallesio assensus essem, ad Sighicellum conuersus. A te inquam Sighicelle quæro cum Philosophorum causa ita profligata sit, planéq; deleta, tamen ne etiam audeas me aut omnino quenq; alium a iure ciuili auocare? Tum Sighicellus. Haud me, inquit, fallebat Folieta si iam inclinato animo tam uehemens, tamq; acris oratio incubuisset, facile te quò propendebas impulsum iri. Itaq; nullum prorsus uerbum facturus sum, quo te in alteram partem traham; neq; irritum laborem capiam, tuóq; te animi impetu ferri sinam. Illud tamẽ dicam longe probabiliorem futuram fuisse eam orationem, si non tam aspere, tamq; acerbe Philosophiam esset insectatus. Etenim pace Sfondrati dixerim quod sentio, non tam ille rationum momentis, quàm conuicijs cũ Philosophis uidetur pugnasse; quodq; crimen orationis initio Philosophis obiecit, in id mihi ipse turpissime lapsus uidetur; plusq; in animis hominũ incitandis, quàm docendis operæ sumpsisse, Cum tamen hæc causa non in animorum permotione, sed argumentis esse debeat. Itaq; auctoritatem dictorum suorum ipsemet eleuasse uidetur. neq; enim eam fidem habent homines ijs uerbis, quæ ab incenso studio proferri intelligunt, quam ijs, quæ sedatus animus nulla perturbatione commotus ad ueritatem inuestigandam

pronuntiat. Magna igitur ex parte Philosophorum uicem se ipse ultus est. Quanquam ne hac quidem pœna Philosophos fore contentos puto. Coniectura enim auguror aliquem extiturum, qui mediata oratione, quod ego nunc facere omitto, ipse assequatur; Vt omnia quæ contra Philosophos disputata sunt, refellat. Sed tamen sunt nonnulla, quæ mihi in mẽtem ueniũt; ea tacitus nullo modo præterire possum. quippe quæ partim ita aperta sint ad reprehendẽdum, partim ita probatu facilia, ut neminem tam a Philosophorum causa abhorrentem arbitrer, qui audeat ab ijs quæ dicturus sum dissentire. Nam si iam satis resedit impetus ille animorum, quẽ in nobis excitare potuit tam concitata oratio, qui ita uehemens fuit, ut me ipsum interdum, qui longe ab ea ratione dissentio, inuitum & ferè contra nitentem rapidissimo illo cursu suo secum auferret; & si iam sedato animo de ea re inter nos quærere possumus, an nõ illud principio magnopere reprehẽdendũ uidetur, quod in tã constantem, tamq; consentientẽ omnium ferè hominũ & seculorũ opinionem inuadere ausus sit, actionemq; contemplationi dignitate anteferre non dubitarit; qua re quid fieri potuit audacius? Tu cum omnes claros uiros, quicunq; de hac re scripserunt, magno uideas interuallo contemplationem actioni anteponere, à tam stabili tamq; inueterata sententia adolescẽs homo dissentire non dubitabis; atq; adeo eã euertere conaberis? ac tantum tuo iudicio assumes, ut non longe plus tribuas tantorum ac tã multorum uirorum ingenio & doctrinæ? In quibus fuit uir recẽtioribus temporibus clarissimus Thomas Aquinas ob multas, eximiasq; uirtutes inter Diuos relatus; qui rem ita copiose tractauit; ita firmis rationibus confirmauit, ut dubitandi libertatem hominibus ferè præcidisse uideatur. Itaq; quanti hunc

ſcriptorum conſenſum Sfondratus faciat, quamq; in eo negli-
gendo famæ ſuæ conſulat, ipſe uiderit, neq; enim nunc, quan-
quã illi omnia cupio, de eius gloria laboro; modo det mihi quod
inficias ire non poteſt, hanc eius rationem Paradoxi cuiusdam
naturam attingere; conſentientemq;, ut dixi, omnium hominũ
& ſeculorum opinionẽ facere nobiſcum. Cuius quãta, quamq;
grauia ſint momenta iuxta mecum omnes intelligitis. Equidẽ
tam inueteratæ clarorum hominum auctoritati ac teſtimonio
tantum tribuo, ut mihi nõ firmiſſimæ modo rationis inſtar ſit,
ſed Diuini cuiusdam propè oraculi numen, ac ſanctitatem obti-
neat. Atq; ego ita adhuc diſputo, ut Sfondratum, quòd iudiciũ
ſuum tam probatæ ſententiæ antepoſuerit, etiam ſi id uerecun-
de et hæſitanter feciſſet, ad firmiſſimamq; rationem, atq; om-
nibus teſtatiſſimam euertendam cum quadam uerborum inſi-
nuatione ac uenia petita acceſſiſſet, doceam temere fecisse. Cũ
uero hac temeritate contentus non fuerit, ſed tam atrox in cõ-
templationem Diuinam rem exortus ſit; ut neceſſe etiam ha-
buerit eam contemnere ac uituperare, quiq; contemplationis
ſtudia colunt, eos nõ modo peruellere, orationisq; libertate per-
ſtringere non dubitarit, ſed maledictis quoq; et conuicijs inceſ-
ſere, in eosq; etiam omni uerborum petulantia ſit inuectus
contemplationem modo futilem rem ac nugatoriam & inanẽ,
modo qui in ea uerſantur omnium hominum leuiſſimos appel-
lando; neq; ulla tantorũ uirorum uerecundia eius orationi mo-
derata ſit, an non hoc (pace illius dixerim) proiectæ cuiusdam
eſt audaciæ, hominisq; pudoris prorſus obliti? In qua re minus
etiam eſt ferendus qui quod initio orationis Philoſophos face-
re criminatus eſt, cum indignaretur illos conuicijs pro ratione
pugnare, in id ipſe ita aperte, ac turpiter lapſus ſit. Sed (ut di

xi) nolo alienam uicem anxius eße, illud mihi nunc eſt propoſitum ut doceam contemplationi huic, quam uituperauit Sfondratus a conſentiente omniū hominum, omniumq́; ætatum laudatione in omnibus humanis rebus dignitatis primas tributas eße; longeq́; ſemper actioni cōtemplationem antepoſitam. quod cum patere poteſt omnes ſcriptores quicunq; de ea re diſputauerunt, legentibus, tum omnem dubitationem præcident ipſius Chriſti Dei Deiq; filij apertiſſima uerba. Nam cum is apud nobiliſſimas fœminas diuertißet, quarum altera familiarium rerum adminiſtratione ſorori permiſſa, ad Chriſti pedes aſſidens eius ſermonem intentiſſima audiret; in eaq́; contemplatione mentem penitus demiſiſſet; altera ſe ſolam in miniſterio relictam ægre ferre uideretur, ſedulitatem Martæ ita laudauit Chriſtus, ut illi tamen Mariæ cōſilium anteponeret; ac meliora eaq́; quæ nullo modo amittere poßet, optaſſe illam diceret. An ullum illuſtrius, aut grauius aut ſanctius teſtimoniū eße poteſt, quàm hoc, quod ab ipſo Dei filio contemplationi datum audiſtis? Spernāt nunc mihi contemplationem; ac de ea contemptim loquantur; actionemq́; illi anteponant, modo intelligant ſe Diuinum teſtimonium ſimul ſpernere; ac nefario ſcelere ſeſe obſtringere; quorum uicem, ac quid quiſq; ſentiat, ac loquatur nō magnopere ſolicitus ſum, cum præſertim ſuo quiſq; periculo inſaniat. me quidem ab inueterata omnium hominum opinione diuino teſtimonio comprobata, nullius unquam oratio dimouebit. At quamobrem contemplationem ita aſpere inſectatur? quod ad perfectam Dei notitiam illam negāt peruenire, quidq́; planè ſit Deus ſcientia & cognitione comprehendere. Quid? eſtne ulla de omnibus humanis rebus, in quibus hominum ſtudia elaborēt, in quibus perfectum & abſolutū illud

quod

quod ipsis propositum est, assequātur? An Imperatorem, an Oratorem, an Poetam, an Pictorem, an artificem deniq; aliquem ex omni ætatum memoria proferre possumus, in quo non multa desiderentur earum rerum, quæ sunt in ea arte, ac disciplina, in qua studium ille & omnem ætatem suam posuerit? Vel hæc ipsa actio, atq; prudentia, quam Sfondratus contemplationi est ausus præferre ad id quo intendit, perfecte unquā peruenit? Quem unquam audiuimus prudentem factum esse uictoria? quem ita æquabili rationis norma omnia quæcunq; gesserit esse moderatum, ita omnia officiorum momenta seruasse, ut eius perpetuus tenor uitæ prudenter & cū ratione actæ ab omni reprehensione sit liber? Quem hominum (ut de præstantiore uirtute loquamur) legimus aut Ciuitatem aut ullā humanam societatem ita præclaris legibus temperasse, ita bonis moribus formasse, ita sancte ad pacem, ac uirtutem instituisse, ut non multa eius uiri aut usus coarguerit, aut ab alio legislatore melius multa sint instituta, aut deniq; non ea in multas posteritatis reprehensiones incurrerint? Quod igitur crimen in actionem & prudentiam & in cætera omnia humana ualet, id in contemplationem infligere; atq; ideo conari homines ab ea abducere, cuius tandem est inuidiæ atq; inscitiæ? quin eadē opera homines a sanctis moribus, a præclaris uitæ muneribus, a iustitia, fide, fortitudine, moderatione, cæterisq; uirtutibus reuocas, quòd in alijs rebus colendis, nunq; ad perfectam illam absolutamq; prudentiæ normam, rectamq; rationem planè perueniant; atq; adeo semper ab ea longissime ferè absint? Sic enim ratio colligebat tua, ideo contemplationem negligendam, quòd perfectam, absolutamq; Dei notitiam nequaquam assequatur. Aut igitur concede omnes uirtutes, omnesq; artes, ac di

sciplinas, prudentiam deniq; ipsam a studijs hominum simul cū contemplatione deserendas; aut expone tandem nobis, cur cum in eadem ratione perfectum non assequendi omnia æque uersentur, prudentia & reliquæ artes hominibus sint urgendæ; cōtemplatio tantum abijcienda; curq; in communis culpæ societate contemplatio inuidia sit oneranda, prudentia liberanda. Illud uero mihi aliquis pro Sfondrato respondeat uelim, num ipsi cum tot maledictis hanc contemplationem laceraret, cum tam grauibus uerbis Philosophorum studium insectaretur, in mētem uenerit neminem omnino unquam mortalium, tam multa, tamq; præclara de Deo omnium rerum auctore atq; causa cognouisse, quàm Philosophi hac ipsa inuestigandi ratione, quā ipse contemnit, & (si Dijs placet) per ludibrium irridet, cognouerunt? num unquam ea cogitatio animum subierit in tantis tamq; uarijs populorum & nationum de Dijs errantibus opinionibus, cum alij sibi alios Deos fingerent, atq; alij Iouem, alij Mercurium, alij Lunam, alij Solem, alij Cererem, alij nescio quos alios commentitios Deos colerent, quin etiam alij fuerint, quos partim muta animalia partim herbæ ac plantæ Diuina religione imbuerēt; atq; etiam alij Deos sibi ex marmore, ex ære atq; auro fabricarent, quos pro numinibus uenerarentur, Philosophos unos extitisse, qui diuina penè ingenij ui tantas errorū tenebras a mentibus hominum discusserint, qui animos hominū tam uarijs religionum portentis imbutos, tam multis inanium terrorum speciebus oppressos purgarint, ac liberarint; quiq; clarissimum lumen hominum mentibus ad Dei cognitionē prætulerint, rationeq; confirmarint, unum esse auctorem & causam rerum Deum, Diuinaq; prouidentia mundum consistere ac regi. Huic Diuinæ menti Religionem, cultum, pietatem, spre

tis fabulis ab hominibus eſse adhibendam? Num Sfondrato tanti beneficij, quo nullum Diuinius ne cogitari quidem poteſt a Philoſophis in homines collati, cum ea orationis aſperitate in Philoſophos & hanc naturæ & cœleſtium rerum inueſtiga-tionem inueheretur, ſpecies & recordatio in animo uerſata eſt? quæ cogitatio ſi non eam uim habuit, ut Philoſophos & hanc contemplationem actioni & reliquis humanis rebus ante poneret, at certe linguam a probris obijciẽdis debuit inhibere. Hic ſi ego quoq; uerborum inſignibus orationem illuminare in animo haberem, quod alium ſpero facturum, qui in ea re dicen di copia & ornamentis Sfondrato par ſit, exclamare poſſem, quod in quodã proemio fecit Cicero, O uitæ philoſophia Dux. Tu Vrbes peperiſti, noſti cætera. Quàm uere, quamq; præcla-re illud addere potuiſſet. Tu cum apud homines de Deo nihil conſtaret, ſed uarijs falſarum opinionum æſtibus iactarentur, impijsq; atq; execrandis religionibus hominum animi teneren tur, tot malis eos liberaſti, Deiq; notitiam in eos induxiſti. At enim in hac ipſa quæſtione de Deo plurimum inter ſe Philoſo-phi diſſentiunt, quorũ aliqui Deos omnino eſſe negant; alij Di-uinam naturam eſſe quidem uolunt, non unum tamen ſed plu-res Deos ponunt; eosq; prouidentia priuant; quæq; ſunt, ea nul la certa ui, aut ratione regi & adminiſtrari, ſed fortuita om nia eſſe contendunt; caſuq; omnia & fieri & adminiſtrari affirmant; plures item mundos ponũt, aliaq; alij dicunt, ut mu tua diſſenſione ſibi ipſi fidem abrogent. Obſecro te Sfondrate, quæ res eſt tam parua, quæ in hominum quæſtionem cadat, de qua non plures ſubito exoriantur diſcrepantesq; ſententiæ? quod igitur in paruis rebus æquo animo ſuſcipimus, id in re omnium maxima & præclariſſima, quæq; ſplendidiſſima inge

nia(ut par fuit)tam diu exercuit non feremus? atq; si aliqui errãtibus de Dijs opinionibus incubarunt, cuiusmodi sunt, quæ Democritus & Epicurus tradiderunt, ideo delirantium inuidia tota Philosophorum schola premi debet? ac nõ potius maiores gratiæ, maiorq; honos habẽdus erit ijs, qui de Deo recta sẽserunt; quorum opinio explosis alijs iandiu accepta est; quæ & apud ipsos Philosophos & apud cæteros homines constantior est & naturali hominum iudicio ad fidem aptior & christianæ Religioni ac pietati congruentior? Iam uero quod nimio de Philosophorum gloria detrahendi studio Sfondratus ita prouectus est, ut in impudentissimum mendacium lapsus sit, cum diceret nihil de Deo nisi negatione ab hominibus cognosci, an putauit omnes sui similes fore, ac neminem inuentum iri, qui libros Philosophorum legisset, atq; omnes ita oblitos existimauit duodecimi libri Aristotelis de prima Philosophia, ut Dionisij Areopagitæ ac nonnullorum theologorum opinionem, quæ hãc Dei cognitionem per negationẽ induxit, Aristoteli assignaret? Adeone cæcus hac lædendi cupiditate rapiebatur Sfondratus ut non inhibere orationem tantisper posset, dum consideraret sese manifesti mendacij ijs rebus Aristoteli affingẽdis obstringere; cuius eius libri lectione, a quouis argui posset? Neq; .n. quenquam uestrum puto latere Aristotelem cum cætera omnia præclare, tum uero ad Diuinæ naturæ notitiam in eo libro tanta inuestigandi subtilitate perueniße; quidq; ipse sit Deus hominibus ita liquido tradidisse, ut in Diuina natura explicanda nobisq; exponenda Deus penè ipse quidam fuisse uideatur. quem Diuinum librum nunquam lego, quin me Diuini uiri admiratio atq; horror quidam a sensibus penè abducat. Hominemne fuiße tanta ingenij acie præditum, qui ad Diuinæ eßentiæ co-

gnitionem (accipiēda enim iam sunt hæc uocabula ad disputationis subtilitatem accomodata, id quod clarissimos uiros fecisse uideo) ita perfectam, ac dilucidā penetrarit, ut nō mente tantum et ingenio Dei naturam peruagatum esse, sed oculis ipsis lustrasse uideatar; quodq; ipse uidit & inuenit ita firmis rationibus demonstrarit, ut nulla uel acerrimæ cogitotionis uis ad ea refellenda possit aspirare, nedum sint illa, ut Sfondratus de omnibus ferè Philosophorum rebus dicebat, commentitia ac responsu & confutatu facilia. Quis enim negare possit aliquam esse substantiam perpetuam & immobilem, qui quemadmodū eam Aristoteles inuestigando inuenerit, cognouerit? Nam cum omnia, quæ sunt ita substātiæ innitantur, ut illa sublata reliqua omnia, quæ illi accidunt, concidāt necesse sit, quippe quibus substantiæ sedes, in qua omnia considant, subtrahatur, fit ut aliqua substantia omniū rerū prima sit, principemq; locū in rebus obtineat; nullūq; rerū omniū genus unquā fuerit, quod substantia nō antecesserit, cū sine substātia ne esse quidē possint reliquæ res quæ illi accidunt. At qui cū motus sit æternus, neq; ortum habeat ullū, aut occasum, substātia aliqua, cui motus ille necessario adhæret, erit ipsa quoq; æterna. ortus porrò et interitus motū expertē esse ex tēporis difinitione planè colligitur, quod cum nihil aliud sit, quàm ut Aristoteles alio loco docuit, in motu Prioris & Posterioris mensura, efficitur, ut qui tempus aliquando, aut fuisse neget, aut non futurum affirmet, is pugnantia secum loquatur; nam si temporis aliquod sit principiū, prius igitur non erat tempus; si item eius aliquis sit finis, iam nō erit tempus postea, cum temporis fuerit occasus. Atqui prius & postea sine tempore esse non possunt, imo uero sunt ipsum tempus. igitur sequitur, ut cum neges prius fuisse tempus, tum ue-

ro tempus ponas;cumq́; item iam non futurum tempus postea affirmes,tum tẽpus dicas futurũ,illa.n. oratio prius nõ fuit et postea non erit,sine temporis notione cõprehẽdi nõ potest. quæ rerum et orationis inter se pugna cũ cogitationis uim effugiat, necessario tẽpus ab ortu et interitu est liberãdũ. At cũ tẽpus a motu distrahi nõ possit, quod uel ut nonnullis placuit,motus est ipse,uel (ut diximus)motus mensura,eadẽ nos necessitas cogit a motu quoq; ortũ et obitũ procul amandare.Proinde cũ motus æternus sit et perennis,isq́; sine substãtia aliqua cõsiste re nõ possit æternã iam esse & perennẽ substantiã aliquã pla nè inuenimus. Eadẽ æternitas motus uiã nobis munibit ad eã sub stantiam cuiusmodi ea sit magna ex parte inuestigãdã. si enim sempiternus est motus nulla senectute languescens, nullo æuo labefactatus,nullis ortus,aut obitus terminis circunscrip- tus,existat natura aliqua necesse est,quæ motum hunc conti- nenter cieat. quod ut assidue faciat,purus,simplexq́; actus sit necesse est,planeq́; sincerus , ab omniq́; facultate seiunctus,ne aliquando cesset.nam qui alicuius rei faciendæ facultatem ha- bet,potest illam interdum omittere,in opereq́; cessare. quod ali quando omnino faciet,propterea quod cum nihil in natura ina niter sit frustraq́; cõparatum,ea facultate non faciendi ne fru stra omnino data sit,aliquando utetur. At hoc in æternum mo tum,uimq́; illam perpetuo illum et continenter cientem cadere non potest.abiudicanda est igitur ab ea substantia omnis facul tas. Et quoniam materia sine facultate esse non potest;ea enim uidetur in primis materiæ uis ; necessario ab omni quoq; mate riæ contagione ea substantia est segreganda , puraq́; & sim- plex materiaq; omni carens est constituenda . Aristoteles igi- tur posita motus æternitate necessario demonstrauit substan-

tiam esse quandam, quæ nullis & ipsa æui spatijs definiatur, sed æterna sit & immortalis, perpetuum ac continentem motum ciens, quæq; sit actus merus & simplex, ab omniq; iccirco facultatis arbitrio & materiæ admistione secreta. Hæc autem Diuina mens esse apparebit, de qua nisi molestum est, quoniam in hunc sermonem uenimus, strinctim nonnulla etiam attingã, quæ uir ille cœlestis de Deo in illo libro disputauit. Nobis uerò inquit Moronus iucundum erit, mihi autem etiam gratum, te de re omnium præstantissima ac sanctissima differentem audire. nihil enim facio libentius, quàm cum tempus aliquod mihi a negotijs, publicisq; muneribus uacuum datur, in quo intermissum iandiu hoc genus studiorum aliqua ex parte aut mente ipse mecum aut sermonibus cũ uiris doctis repetam. Quare perge, quodq; de Diuini numinis natura cœpisti absolue. Hic ego, Perge uero, inquam, Sighicelle. Nam ego in Sfondrati oratione perpendenda minimum pono in eloquentia aut dicendi ornamentis; quanquam ne ea quidem contemno, sed omnia causæ tribuo, quam uerissimam statuo; præclareq; a Sfondrato tractatam, quæq; tu adhuc contra illius disputationem attulisti, ita nihil contra nos facere uidentur, ut potius causam nostram confirment. Facilia enim mihi uidentur ad refutandum; omniaq; Aristotelis eiusmodi esse, cum semper existimaui, tum uero in ea magnopere fui opinione, cum hunc ipsum duodecimum librum de prima Philosophia, quem tu suspicis, perlegissem. Idẽ uideri huic Gallesio intelligo. Cuius erunt partes, cum tu peroraris, ad omnia quæ dixeris respondere, ac quàm inania sint et futilia ea quibus Philosophorum causa in primis innititur, ostẽdere. Tum Antonius ne ad me inquit hoc munus Folieta delega, quod tu longe melius sustinere cum possis, tum etiã debeas.

Nam & si mihi multa Aristotelis, in quibus hæc ipsa sunt, de quibus nunc Sighicellus disseruit, nota sunt, non tamen, ut tu, ullum mihi continuum tempus a forensibus negotijs, quibus cõtinenter opprimor, ad ea perfecte cognoscenda unq; seposui. Deinde cum tibi & beneficiorum in te collatorum & tuæ erga illum obseruantiæ summa cum Sfondrato necessitudo intercedat grauis fiat tantæ coniunctioni iniuria si eius defendendi munus te præsente alius suscipiat. Et Moronus missa inquit, ista faciamus, ac sighicellum audiamus, cui uter uestrum respondeat in eo mihi morem geretis. Cumq; ambo respondissemus fore nos in eius potestate, sighicellus præclare me (inquit) habeo si pro uno absente, contra quẽ disputo, res mihi est futura cum duobus talibus uiris præsentibus. Itaq; quàm mallem principio tacuisse, quàm duo talia ingenia in me irritasse, non quòd causæ diffidã, qua nulla melior esse potest, sed quod eloquentiam uestram, acremq; illam in refellendo uim metuã. sed quoniam id iam mihi non est integrum, tua Morone humanitate fretus pergam. Confido enim te si me orationis copia a tam præstantibus uiris obrui uidebis, auxilio mihi futurum. Cũ Moronus subridens illũ bono animo esse iussisset, atq; ut omissis urbanitatibus pergeret, ita Sighicellus est secutus. Cum igitur Aristoteles Diuinæ menti æternitatem, uim omnia mouentem attribuisset, illamq; actum, merum & simplicem esse docuisset, ab eaq; omnem facultatem & materiæ coniunctionem amandasset, ut neq; elegantius, neq; uerius, neq; magis pie Diuinam naturam depingere potuerit, multa quæ illi conueniant, non minore cum ingenij admiratione inuenit. Cuiusmodi est uim illam omnium rerum perpetuum & continentem motum cientem omni ipsam agitatione et motu uacare; idq; multis rationibus

tionibus confirmat;sed una tantum contentus ero, neq; enim nobis nunc illud est propositum omnia, quæ in eo libro scripsit Aristoteles interpretari,sed strictim quædam attingere. Cum igitur duæ diuersæ inter se res in unam speciem temperãtur, quarum altera per se, & ab altera separata sua ui consistere potest & hærere, necessario hæc eadem uis per se hærendi et consistendi in altera quoq; inest;ut mulsum, quod ex uino & melle conficitur,quorum alterũ ab altero segregatum consistere potest.igitur si natura aliqua reperitur,quæ eadem mouens sit et mota,quales multas res uidemus,cum aliquæ res existãt, quæ tantummodo moueantur,necessitas nos cogit fateri aliquã rem existere,quæ dũtaxat mouens sit ipsa immobilis. At hoc in primum omnium rerum principium,diuinamq́; mentem cadere solum potest. Sed quonã pacto mens illa simplex et æterna omnia perpetuo mouet immobilis ipsa permanens? propterea inquit,quòd intelligentiam & appetitionem ciet;quæ enim sic mouent,in mouendo motu ipsa uacant;ut honores gloriæ cupidum,flos puellam,adolescentem puellæ forma. Nam cum ratio mouendi a duobus fontibus manet,natura et uoluntate,neutrum certe huius motionis genus sine mouentis incitatione fieri potest. Etenim cum uoluntas ad agendum impellit aliquo ipsa impulsu profecto incitatur, item ea quæ res uariant & gignunt,necessario cum efficiunt hunc motum ipsa quoq; mouentur. Neutro igitur modo mens illa simplex mouet,sed appetitione & intelligentia,cum ipsa sit finis & bonum maxime expetendum & intelligentia comprehensum. hoc motus genere reliquæ cœlestes mentes,quæ orbes suos assidua conuersione agitant ad primam illam Diuinam mentem tanquam ad rem omnium optimã & perfectissimam rapiuntur,idq́; non sensu quo

carere illas docuit Aristoteles, sed ratione & intelligentia. Neq; enim mentes illæ cœlestes cum omni sensus, prauarumq; cupiditatum perturbatione uacent, aut ad simulatum bonũ ferri possunt, quod nobis sæpe usu uenit, aut ad uerum & cognitum non ferri, cum nulla res ipsis impedimento sit quominus ferantur. At cum res quæ per se intelliguntur, altissimum dignitatis locum obtineant, eademq; sua ui, suáq; natura tanquã optima sint exoptanda, atq; expetenda; ista enim reciprocantur optimũ esse et per se maxime intelligi, hoc profectò primæ illi mẽti in primis conuenit, ut omniũ rerũ, primũ hoc mouẽdi princpiũ optimũ sit, maximeq; expetẽdũ, naturáq; sua ad intelligendum maximopere planum & apertum, propterea quòd in unaquaq; rerum serie, quod primum sit, id sit etiam optimũ. Innumera alia sunt, quæ Aristoteles in eo libro de Diuina natura tradidit, cuiusmodi sunt mentem illam uim esse immutabilem & absolutam, neq; aliter quàm sit, esse planè posse; optimum præterea omnium rerum, ideo quoq; esse quod se se per se intelligat; cum sit ab omni materiæ impedimento penitus libera & maxime quidem se intelligat, item frui illam summa uoluptate, cum optima res sit; quemq; bonitatis gradum res adeptæ sint, eundem cum percipiuntur, obtinent in delectatione; tum etiam uim esse infinitam, infinitumq; esse hoc omniũ rerum principium, atq; ideo corpore carere, quod alibi finitũ esse, certisq; spatijs & magnitudine terminatum Aristoteles docuit. immutabilem uero ideo esse, quòd in eam mentem alteratio nequaq; cadat (suscipiendum est enim hoc uocabulum, cũ aliter ἀλλοίωσις reddi non possit) quæ sine motu esse non possit, quem a Diuina mente seiunximus; Tum præterea secari et diuidi non posse; nam hoc magnitudini conuenit, qua re caret

mens Diuina, cum sit infinita, ad extremum actum simplicem esse se ipsum intelligentem, atq; in ea ipsa intelligentia facultate quoque carere, ideoq; sine labore se ipsam Diuinam mentē intelligere. Tot ac tam præclaras res, quas ille firmissimis rationibus dilatat, ego quàm angustissime coarctaui, ne longior essem, cum mihi non fuerit nunc illud propositum ut eū librū interpretarer, sed capita tantum summatim attingerem, quæq; de Diuina illa natura & mente inuenit Aristoteles strictim uobis indicare; quanquam uobis quidem ea æque nota sunt ac mihi, ut pudoris eos admoneremus, qui Philosophos Deum negatione cognouisse mentiuntur. Igitur cum tam multa, tamq; præclara de Diuina natura quæ prius altissimis obscuritatibus fuisset inuoluta hominibus Philosophi aperuerint; obsecro te Sfondrate, an ullas pro tantis meritis gratias Philosophis cēseas habendas, an potius eorum labores esse irridendos, quod tu fecisti, per ludibriumq; asperis facetijs perstringendos? sed quamlibet Sfondratus Philosophos irrideat, quamlibet perstringat, quamlibet asper atq; atrox in Philosophiæ studium existat, nō enim magnopere laboro; ac ne ipsos quidem Philosophos puto laborare. Id enim credo est periculū, ne quid homines de Aristotele, deq; tot & tam clarorum uirorum ingenijs quorum fama Philosophiæ nomine commendatur, existiment, ex adolescentis opinione et auctoritate pendeat, ac non potius ex loquēdi intemperantia de Sfondrato ipso omnes iudicium sint facturi. Atq; Ego a Sfondrato quanquam in Philosophis me quoq; ludibrio haberi intelligo, nihil tamen illi succenseo multa enim do adolescentiæ, multa laudis cupiditati permitto; non nihil etiā indignationi, qua se orationis initio excitatum dicit concedo, sed hominum sermones quidq; secum de Sfondrato existimaturi

ſint pro mea in illum obſeruantia metuo; hunc certe locum de Diuina notitia per negationem, totum de oratione demendum a Sfondrato eſſe cenſeo ſi ſapit, ne dum nimio irridendi Philoſophos ſtudio prouehitur, mentiendi impudentia riſus in ſe ipſe hominum moueat. Hic Moronus magnam tibi, inquit, Sighicelle uiri clariſſimi mihiq́; amiciſſimi nomine in eo habeo gratiã, quod te uideam de eius exiſtimatione ita ſolicitũ eſſe, magniq́; ſemper erit ut puto apud Sfondratum ponderis, ut eſſe debet, hominis amiciſſimi eiusdemq́; uiri ſapientiſſimi conſilium, pluſrimumq́; in omni re tuæ auctoritati ſemper illum tributurum exiſtimo. Huius autem orationis partis tollendæ uel relinquendæ conſilium ex ueſtra hodierna diſputatione pendebit quam puto Sfondrato maxime probatum iri. Video enim hos duos uiros, quantum ex eorum obtutibus coniicere poſſum, tibi ad reſpondendum paratiſſimos; quorum ſermones & rationes grauiter ferre non debes, ſi in huius rei conſilium quoq; adhibuero. Nam quanq; in Philoſophiæ cauſam, ut dixi propẽdeo; neq; qui de illa detrahit, huic ferè poſſim aſſentiri; tamen te uirum doctiſſimum non fugit, ita omnibus in rebus, quæcunq; in hominum diſputationem cadunt, aut firmas, aut certe ad ſpeciẽ probabiles eſſe utrinq; rationes, ut a præclaris ingeniis, omnes fere res in utranq; partem diſputatione trahi poſſint. Ex hoc genere ſi hanc orationis partem eſſe fortaſſe apparebit, non uideo cur, illa tollẽda ſit; Cum præſertim ex totius orationis lectione apparitum ſit, Sfondratum id quod etiam orationis initio propoſuit, non tam id agere, ut Philoſophiam accuſet & uituperet, quàm ut Iuris ciuilis ſtudium illi anteponat. Quare perge Sighicelle, niſi moleſtum eſt; ac quàm multa maxime potes in hac oratione reprehende. Vosq́; Galleſi & Folie-

ta si unquam quicquam mea aut Sfondrati cuius mihi nota est de hac re sententia & uoluntas, causa uoluistis, diligenter uos ad respondendum cõparate. Hic Gallesius. Nos uero (inquit) parati sumus. Et Sighicellus mementote me non disputandi causa quæ in mentẽ uenient dicturum, tam enim accuratæ orationi & meditatæ respondere maioris est otij & diuturnioris meditationis, quod aliquis fortasse faciet, si illa in manus hominum unquã perueniet; Cuius rei iudiciũ erit ipsius Sfondrati, sed ut obsequar studijs uestris me pauca quædam ad ea, quæ dixi additurum. Quorum illud erit primum in quo præcipua inest huius rerum cœlestium & naturæ causarum contemplationis commendatio, quod a Sfondrato in oratione silentio præteritum non poßum satis mirari. Quod enim fuit eius consilium? Vtrum putauit si ipse tam testatæ rei, tamq; omnium, quicunq; contemplationem defendunt, sermonibus iactatæ & celebratæ mentionem oppreßißet, nemini illius in mentem uẽturum? an potius Rhetorum præcepto usus est, quæ ab oratore sanari non possunt, ea ne attingenda quidem esse? Ita is quod argumentum longe firmius uidit, quàm ut illud se eloquẽtia euertere posse speraret, omisit. Astutum uero hominẽ, qui non intellexerit, omnes quicunq; eius orationem lectitabunt, in argumẽtis recensendis quæ ipse in oratione sua ordine posuit, statim hoc, quod est omniũ ferè firmißimum requisituros. quo non refutato uel ex hoc solo priores & potiores contemplationi, quàm actioni eße deferendas? id autem est digniores, præstantioresq; eas res esse, quæ nullius rei extrinsecus egeant, sed sua ui, suisq; opibus hæreant & consistant, quàm eas quæ externa ope desertæ ne existere quidem possint, quod longe apertius est ad intelligẽdum, ac non modo intelligentia sed sen

ſu penè percipiendum, quàm ut alia confirmatione egeat. Quis enim dubitare poſſit quin nobilius ſit ſuis ſe opibus tueri, quã alienis uiribus niti, ab ijsq; magna ex parte pendere? atq; ut uno uerbo dicam, quis dubitare poßit, quin nobilius ſit non indigere quàm indigere. At ſuperioris generis contemplatio eſt, poſterior indigentia in actionem cadit; neq; enim ulla re indigemus ad contemplãdum, ſed quò nos contemplatio ducit, eò ſine alterius adminiculo peruenimus. Cumq; illa nobis ad res cœleſtes aditum patefaciat, eas illius ductu et auſpicio ſine cuiusuis alterius auxilio penetramus. At actionis quod tandem officium ſine aliena ope exequi poſſumus? An eſt quiſquam, qui uel iuſtitiæ uel fortitudinis, uel moderationis, uel prudentiæ, uel benignitatis, uel cuiuſuis alterius uirtutis, quæ ad actionem pertineat, munus aliquod, niſi extrinſecus præbeatur occaſio, explicare poßit; & in hoc ipſo munere explicando non externis præſidijs indigeat? Quomodo enim iuſtũ aliquid quis agere poterit niſi homines inter ſe litigent, & alius iniuriam faciat, alius patiatur? Quid uero prudenter conſtituere poteris in quo homines mirentur ingenium, ac conſilium tuum probent, niſi difficilis incidat aliqua deliberatio, ac publicæ res in diſcrimen adducantur, multæq; rerum difficultates ſint cõſilio expediendæ? Iam uero quod fortitudinis, quod temperãtiæ, quod benignitatis, quod cæterarum uirtutum ſpecimen unquam edes, niſi eius rei fortuna tibi uel patria in diſcrimen adducta, uel re, quæ cupiditatem excitet oblata, uel amicorũ egeſtate cognita occaſionẽ ſuppeditarit. Igitur contemplatio quæ per ſe ipſa hæret, neq; ex ulla alia omnino re pendet, profecto nobilitate & dignitate actioni eſt præferenda; cuius rationes extrinſecus aptæ ſint & ſuſpenſæ. At etiam ut nullam com-

mendationis partem huic contemplationi relinqueret, ijs omnibus rebus eam priuare est conatus, quibus hominum studia trahuntur; cum quæreret, quid ex hac cœlestium & diuinarũ rerum inuestigatione ad homines perueniret; beatitudo ne an delectatio, an utilitas? Omnia hæc homines rebus diuinis contẽplandis consequi tibi respondeo; & summa quidem. Nam si ulla in humanis rebus beatitudo reperitur, quam tamen tibi assentior infinito interuallo maiorem ac perfectiorem futurã, tũ cum his corporis uinculis soluti in cœlum peruenerimus; sed tamen si dum in hoc corpore sumus ulla inter homines ueræ illius beatitudinis est imago, ea profectò in hac cõtemplatione exprimitur, quippe cum refutata opinione Sfondrati tam perspicuam & liquidam Dei notitiam nos Philosophia Duce assequi docuerimus. quod ut planius fiat, quæro in corpore ne an in animo hominis beatitudo posita sit? Neminẽ puto esse tam stupido ingenio, qui illam audeat a uera illius ac nobilissima sede, quæ animus est, in corporis ergastulum transferre. Tũ quæro in qua ipsius animi parte beatitudinis domicilium sit collocandum, profectò si ipsa est omnium rerum optima et præstantissima, sedes illi nobilissima debetur. at hæc quid aliud est, quàm mens & intelligentia? Iam uero illud etiam quæro, cum nihil a natura hominibus frustra sit datum, an quisquam putet intelligentiam, quæ hominis pars est & opus præstantissimũ inanem ipsam tantummodo esse, cum cæterarum hominis partium nulla sit tam parua, cuius non sit aliquis usus atq; utilitas. Neminem tam deprauato ingenio puto, qui id audeat affirmare. Porrò cum duæ sint in homine uel intelligentiæ, uel intelligẽdi uirtutes, altera quæ ad actionẽ pertinet, quæq; in uitæ muneribus explicandis & administrandis uersatur, altera quã

iam inde ab ineunte ætate ad cognoscendum & contemplandū natura se nobis dedisse ipsa docet, cum uideamus pueros earum rerum, quas illa ætas, fert cognoscendarum cupiditate ac studio in primis duci, proinde spectaculis auide interesse, rerumq; aspectabiliū, quæq; oculorum ministerio ad intelligentiam perueniunt, aspectu tantopere delectari, quis audeat negare huius intelligentiæ ne frustra data sit, finē aliquem esse: hic autem quis alius sit, quàm earum rerum cognitio, quæ omnium optimæ & præclarissimæ sint? ad optima enim & præstantissima natura ferimur. Hic autem cum sit Deus, tum profectò mens nostra beata est, finemq; suum planè est assecuta, cum illi tanq; fini suo contemplatione coniungitur. Voluptas uero & oblectatio (nam hoc proximum fuerat) quæ per illū ipsum immortalem Deum, qui ea nos afficit, cum ipsum contemplamur, maior quam illa qua pulcherrima hæc cogitatio animum perfundit, fingi potest? Etenim cum ipsa quoq; in animo sedem suam posuerit, quod declarant ex altera parte curæ, mestitia, angor, erumnæ collatæ, quæ ipsæ quoq; animum insederunt, tum profectò animus pura & liquida perfectissimaq; uoluptate perfruitur, cum ad finem suum, quem naturæ impulsu maxime expetit, ad quemq; fertur, ac rapitur peruenit, et in eo conquiescit. Breuiter percurro & anguste coarcto, quæ oratione pro dignitate dilatanda essent. Extrema fuerat utilitas, quam uel ipsorum Philosophorum confeßione ab hac contemplatione Sfondratus procul amandauit. In qua re, ut nō nego homines hac uniuersarum rerum inuestigatione, cœlestiumq; rerum pulchritudine a singulis rebus tractandis, quæ in actionem cadunt, humanisq; rebus procurandis nonnihil abduci, ita Sfondrato omni utilitate hanc diuinarum rerum contemplationem

tionem priuanti nullo modo assentior, quin contra ab illa sta-
tuo summam utilitatem, qua nulla maior ne cogitari quidem
possit, ad hominum uitam permanare. Nam quem maiorem
ac perfectiorem laborum & studiorum suorum possunt homi
nes fructum capere quàm beatitudinem, cuius parentem & ef
fectricem hanc contemplationem fecimus? Deinde quid tot cu
ris, uigilijs, laboribus, periculis tam quærunt homines, quàm ani
mi tranquillitatem, cum etiam bella suscipiantur, ut in pace ui-
uamus? ut etiam recte Aristoteles non tam iustitiam, quàm Ci
uitatis concordiam & tranquillitatem legibus propositam esse
affirmarit. At si ab ulla alia re, ab hac certe cœlestium rerum
contemplatione animi tranquillitatem ad homines peruenire ne
mo erit tam Philosophis iniquus, qui neget. Nam cum cætero
rum hominũ uita mille curis, solicitudinibus, angoribus, erum-
nis continenter uexetur sitq; infesta; contra aliquando impotẽ-
ti lætitia gestiat & efferatur, ut illis res secundæ sunt, uel ad
uersæ, quo fit ut assiduis pertubationum æstibus iactetur, ani-
miq; tranquillitate semper ferè careat, totáq; fortunæ regatur
arbitrio; et ab illius nutu pendeat; sola sapientis uita hoc est ho
minis, qui se ad rerum cœlestium cognitionem dedit, ijs malis
uacua est. qui enim rerum cœlestium & diuinarum magnitu-
dinem, admirabilemq; perfectionem animo & cogitatione per
lustrat, cuius mens in tam pulchrarum rerum cogitatione &
contemplatione uersatur, is humanas res, tanquàm paruas, hu
miles, fluxas, caducas, nulliusq; pretij despicit; quo fit, ut neq;
earum copia, aut penuria, aut acquisitione, aut amissione læte-
tur, aut angatur, nullusq; ad tam celsum & erectum animum,
sordidasq; has res contemnentem ac diuina tantummodo suspi
cientem fortunæ aditus pateat, cuius uim ipse pedibus suis sub

ſine ulla mea diſputatione, omnium non modo ſententiam, ſed etiam aures puto abhorrere. Negauit enim homines a belluis ingenio, uiq; intelligendi in primis differre. An quicquam hoc dici poteſt abſurdius, aut a cõmuni uitæ conſuetudine magis abhorrens? Nam, ut fateor, extremas rerum differentias ijs eſſe obſcuritatibus inuolutas, ut nequaquam perſpecta, planeq; comprehenſa nobis ſit alterius rei ab altera ſpeciei diſtinctio, ita ſtatuo nullam omnino rem eſſe ex qua maior differẽtia inter homines et cæteras animantes colligi poſſit, quàm ingeniũ; cuius quãquam multa in belluis quoq; ueſtigia appareant, quæ ſatis diligenter Plutarchus in libro de Induſtria Animalium perſecutus eſt, quibus et nonnulla, eáq; non in poſtremis addi poſſunt noſtra ætate in Gallia a uenatoribus longo uſu obſeruata atq; deprehenſa. Ceruum cum conſpectum canum pernicitate ſua effugerit, cum tamẽ intelligat, a uentatoribus ſe peti, eosq; ſe inſectandi finem non prius facturos, quàm laſſitudine curſuq; defeſſum ceperint; eos autem deuijs itineribus uitare non poſſe, quòd ueſtigijs prodatur, hoc aſtu uti ad canes et uenatores eludendos, ut obuiam bouem inſiliat, cogatq; cornuum ictibus aliquantum ſpatij progredi, Cumq; quantum uiſum ſit proceſſerit, tum, e boue deſilire atq; interruptam fugam perſequi; leporem cum e fouea exit ne ueſtigijs animaduertatur quemnam locũ petierit, circum foueam perſultare, ac ueſtigiorum ſpeciem in plura loca ferentium relinquere. Illud item animal cum perſequentes canes fugit, ſi in foſſam incidat, eam ſaltu tranſilire deinde non eadem uia, ſed paulo ſuperius, uel inferius in citeriorem partem reuerti, iterumq; tranſilire, ſæpiusq; id facere ut ueſtigia ſua dubia faciat, atq; incerta. Hæc atq; alia infinita eiuſmodi quanuis ab omni prorſus ratione ſe

iungere non possumus, Cum tamen omnia sint ad uitam conseruandam neq; in alia ferè re bestias ingeniosas uideamus, quippe quod omnia hæc exempla, quæ complexi sumus ad salutem tuendam pertineant, ad motum quendam potius a natura indutum, propensionemq; quandam sui conseruandi, mortisq; & pernitiei uitandæ, quàm ad ingenij ullam uim aut rationem reuocare debemus. Quòd si ingenium libet appellare, ne magnopere repugnem, tanto tamen, tamq; infinito interuallo ab hominibus in eo superari belluas affirmo, ut errare non possimus, si hanc differentiam inter nos & eas fecerimus, qua nullam neq; apertiorem, neq; expressiorem habeamus. Neq; uerò hominum inuenta ad uitam conseruandam salutemq; tuẽdam tantum pertinent, sed infinita commoditas induxit, multa uoluptas importauit, innumera ad ornatum, speciemq; reperta sunt. quæ tam multa sunt, tamq; inter se uaria, ut ars hominũ et ingeniũ cũ natura certasse uideatur, pluribus ne rerũ uarietatibusnatura orbis terrarũ speciẽ insignẽ fecerit, atq; distinxerit, an ars pluribus rerum insignibus eandem terram ornarit, atq; uariarit. quæ ut innumera ac penè infinita omittam; ita enim patent, ut sermone non egeant; illa tantummodo attingam, quæ maiorem humani ingenij uim declarant. In quibus non sunt prætereundæ duæ nobilissimæ artes fingendi atq; pingendi, quarum illa ex rudi marmore humanos penè uultus educere possit, atq; ita molliter educere, ut spirare & gestum agere uideantur. Pictura autem omnia quæ natura creauit, ita imitando exprimit, ut sensus nostros sæpissime fallat, quod de multis pictorum tabulis legimus. Iam uero, ut ad illa quæ maiora sunt, præstantioraq; ueniamus, quantum opus ingenij est Poesis, in qua ita præclarum specimen ostenditur, ut qui in

illa excellentes extiterint, ijs lumen diuinitus prælatum, mentemq; quandam a Deo datam prædicemus, quod scilicet ad humani ingenij uim id referre non possimus, quod eius facultatē excedere uideatur. Quid dicam de Mathematicorum subtilissima multipliciq; arte? an nō est eiusmodi ut admiratione ferè æquari nō possit? In qua ut omittam præclaras illas mechanicas, a Mathematicis profectas, artem ex prospectu altitudinem & interualla metiendi, solarij fabricationem, in quo omnia ita apte sunt moderata ac perlibrata, ut in disparibus illis ponderibus, uarijsq; tot rotarum conuersionibus, nihil præponderet, nihil inter se dissentiat, ea sit totius operis inter se consensio, ut eius perpetua sua sponte cōuersio pari temporis spatio atq; solis cursus terminetur; horarumq; interualla ac temporis spatia & momenta distinguat. Vt hæc & eiusmodi innumera, quæ summam habent admirationem, omittam; quanta Dij immortales, quàm admirabilis, quā diuina res est Astrologia? Quæ cœli & astrorū tam dispares cursus, tamq; uarios ita dimensa sit, ut tanto ante prædicere possit solis & lunæ defectus, quæ breuitatis & longitudinis dierum, ac noctium ita plane rationem teneat, quæ spheram illam, in qua orbes cœlestes exprimuntur, ita fabricata sit, ut eius operis inuentor cū ipso illo (si fas est dicere) cœli et astrorū opifice Deo ingenio certasse uideatur. In ea cogitatione qui planè mentem defixerit, an is audebit quicquam simile de bestijs proferre? Neq; uero hæc ita disputo, ut eam animi magnitudinem, rerumq; sublimium appetitum, quem diuinis propè laudibus ornauit Sfondrati oratio extenuem ac deprimam; neq; hominum generi ita parum faueo, ut eos uelim tanto ornamento priuare, sed ut doceam ad homines a reliquis animantibus distinguendos hanc

gloriæ & regnandi cupiditatem in comparatione ingenio lon-ge cedere. Nam non si eam in bestijs non ita aperte cernimus, ideo eius participes eße negare debemus, sed potius putare, quòd ingenij ui & oratione careant, nō poße eas res aggredi, quæ hunc motum in illis inesse significent, neq; id uerbis etiã declarare. Quod etiã hominibus usu ueniat, si ipsi quanuis ab hac animi celsitudine non deserantur, ab ingenio tamen defi-ciãtur; loquendiq; ui priuẽtur atq; aliquod aliud animal extra humanum genus præditũ ratione (liberum est enim quiduis cogitatione fingere) ipsos homines quæq; ipsi gerant, contem-pletur. nam aut nulla coniectura, aut ea obscurissima hanc ani mi magnitudinẽ imperijq; cupiditatem in eis deprehẽdet. quip pe qui neq; ingenij ope deserti ullum specimen edere possint, quo illam se habere significent, neq; uerbis hanc cupiditatem gloriæ & excellendi testari. Ita bestijs nullum est uel inge-nij, uel orationis iter expeditum ad hunc animi motum declarã dum, etiam si libeat fingere maiorem illum uehementioremq; in illis, quàm in nobis inesse, quæ res planior etiam fiet, si quis leonis erectam, præstantemq; naturam cõsideret. quæ fera (ut alia omittam) sæpe mortem oppetere mauult, quàm ullum de-missi, fractiue animi signum dare. Eam igitur belluam utrũ tandem ab homine imperio subiungi putamus animi hac celsi-tudine an ingenio? Equidem neminem ueſtrum puto dubita-turum, si eadem sit in hac fera ingenij uis, quæ in hominibus; quin potius illa imperatura nobis fuerit, quàm nos illi. Atqui Sfondrate si hac animi celsitudine bestiæ caret, ut in oratione tua uoluisti, solaq; ea in hominibus reperitur, nulla cura impe-randi torqueatur leo, quòd illi hanc animi propensionem natu-ra negauerit, imperiumq; cuius cupiditate careat, apud homi-

nes esse patiatur. Itaq; Sfondrato concedam fieri posse, ut hac animi magnitudine homines reliquis animantibus antecellant; id tamen non planè liquere, neq; exploratum esse, facileq; rem aliter habere posse; ingenium uero esse eiusmodi, cui in hominibus a belluis distinguendis nõ modo primæ sint deferendæ, sed sine quo inanis planè res sit hæc ipsa animi celsitudo, nihilq; habeat momenti ad homines bestijs præferendos; cuius ingenii tantam uim esse dico, ut si eius cætera quoq; animalia non sint expertia de imperio fortasse cum hominibus contendant; Cũ præsertim ne nunc quidem eos uideamus æquo animo hominum imperium ferre. Iam uero qui rationem & ingenium cum belluis communicat, quiq; homines ab illis hac excellendi; imperãdiq; cupiditate distinguit, propriumq; hoc hominis esse statuit, non intelligit se omnem uirtutis differentiã inter homines tollere, omneq; laudis & uituperationis discrimen e uita hominũ penitus extirpare, paresq; homines omnes facere, cum tamen tantum inter se homines distent, aliquisq; interdum uir ita cæteris hominibus uirtutis præstantia antecellat, ut innumeris populis numinis cuiusdam diuini instar sit; Nam cum omnium rerum laus a propria ipsarum uirtute sit ducenda; neq; æquum sit, ut extrinsecus pendeat, ut ne Sfondratum quidem negaturum puto, non ingenio, neq; præclaris ingenij facinoribus homines laudabimus; neq; enim hoc est hominis, sed ea re quæ hominis propria sit, hoc est laudis excellẽdiq; & imperandi cupiditate. At in hoc appetitu omnes ferè homines pares sunt; nam (ut ille inquit) honores & imperia bonus & ignauus æque sibi expetunt. Nihil igitur Iulius Cæsar, aut Annibal gregarium militem gloria, aut hominum admiratione anteibunt, siquidẽ in propria homines uirtute nihilo

ſint illo ſuperiores; cum nulla clariſſimis Imperatoribus in rei militaris multiplici ſcientia, in tam multis difficultatibus conſilio expediendis ſit ad dignitatem commendatio, quippe quod hæc omnia ingenij opera ſint, quo qui reliquis hominibus præſtat, hũc ideo cæteris in ea re inferioribus qua humana ſpecies nequaquam commendatur, minime deceat dignitate præferri. Suis enim momentis res ſunt ponderandæ; ac quemadmodum Villicum non magis fundo noſtro præficimus, magis ue laudamus eum, qui artẽ quoq; pingendi teneat, quàm picturæ prorſus ignarum, quod ea res nihil ad rem ruſticam pertineat, ac ſi quis iuris ciuilis ſcientiam profiteatur & in ciuitate honos aliquis, aut premium præſtantisſimo Iuriſconſulto decernatur; atq; in eo petendo Iurisconſultus aliquis egregia ſe carmina conficere proponat, alios uero Iuris peritos poeticæ artis ignaros eſſe doceat, non tamen is iccirco præmium auferat, & cæteris præferatur, quòd nulla alia re Iuriſconſulti uirtus quàm Iuris ciuilis ſcientia ſit perpendenda; ita & hominis dignitas & præſtantia non ingenio quanuis præclara res ſit, ſed ea re, quæ huius (ut ita dixerim) hominis profeſſionis eſt, hoc eſt laudis & excellentiæ cupiditate eſt ſpectanda. Non igitur maior honos eſt habendus clariſſimo Imperatori, aut ſapientiſſimo legum latori, aut præſtantiſſimo oratori, aut deniq; ſummo Philoſopho, quàm ignauiſſimo cuiq; homũculo. nullius enim alterius uirtutis, quàm ingenij opera ſunt, quæ a diuinis penè uiris eduntur; quod cum hominis proprium non ſit, reſq; propria uirtute metiri conueniat, in hominum inter ſe comparatione, neq; magnarum rerum ſcientia, neq; in bellicis rebus uſus & conſilium, neq; in legibus ferendis prouidentia, neq; in cœleſtibus rebus inueſtigandis acerrima ac propè diuina ingenij

uis ullū momentum obtinebunt, sed tardus, atq; ignauus quisq; modo excellendi & gloriæ cupiditate uiris præstantissimis nō concedat, æquales atq; illi dignitatis & gloriæ partes auferet, atq; etiam fortasse maiores, si maior in illo fuerit hæc gloriæ & præstātiæ cupiditas; ut sæpe uidemus eos, qui minus ad honores & imperia administranda idonei sunt, maiore crescendi cupiditate efferri. Qua re quid est dictu absurdius? Expediat igitur se hoc laqueo Sfondratus, si potest, in quē noua hæc opinio hominem induit. Ac ne ille quidem alter laqueus facilior est expeditu. Etenim si gloriæ & excellendi appetitus a brutis homines distinguit, ut quisq; erit ambitiosissimus séq; huic regnandi cupiditati constringendum tradet, neq; quicq; præ cæco & impotenti appetitu respiciet, quod multos facere cum summa urbium suarum & orbis terrarum pernicie licet uidere, ita maxime laudabitur, quod hominis proprium munus in primis colat, ut diximus; contra qui hanc honorum cupiditatem sub pedibus constrictam habet, summáq; animi æquitate magistratibus & honorum titulis caret, quin etiam eos sapienter fugit, plausúsq; hominum & fauores Regum ac populorum contemnit, is maxime uituperabitur, quòd propria hominis uirtutis officia prætermittat. Atqui contrarium uidemus. ambitio enim, nimiáq; crescendi cupiditas multorum malorum Ciuitatumq; euersionum causa in uituperatione semper posita fuit. Contra honorum & Imperij despicientia ad summam uirtutem ac sapientiam, animíq; constantis laudem communi consentientéq; hominum opinione reuocata; ut etiam ij qui ambitione cæci feruntur, eos qui hoc morbo liberi sunt laudare cogantur. Quis enim, ut innumeros summos uiros omittam, qui omnibus ætatibus fuerunt,

non miretur ac laudibus ad cœlum tollat uirum clarissimum, omniumq; literarum genere florentissimum, uirtutũ uero tot, ac tam præclararum gloria, tantaq; morum sanctitate præstantem, ut humanam penè sortem superasse uideatur, Reginaldũ Polum Cardinalem, qui cum proximis Pontificijs comitijs maximæ partis Patrum summus constantissimusq; consensus Pontificatum Maximum illi mandaret, ea semper fuit animi æquabilitate & constantia, ut non modo neminem ipse Patrum prẽsaret, nullius allegationibus uteretur, sed maiorem se gratiam Patribus habiturum præseferret, si in alium studia sua conuertissent, seq; hoc graui onere liberassent. Tantus igitur uir non modo nullam huius rei laudẽ feret, sed contra stultissimus habebitur, quod honorem omnium maximum cum quo diuini numinis auctoritas ac potestas apud homines cõmunicata est, ad quam si paulũ modo adnixus esset, peruenire facile potuisset, contempserit. Nimius sum in tam futuli opinione refellenda; finis igitur est mihi aliquando faciẽdus; infinitaq; alia quæ ad hanc Sfondrati opinionem de hominum & brutorum differentia dici possent, alij reseruo, qui & maiore otio & accuratius ad omnia respondeat. Illud autem, quod in alia orationis parte Philosophorum inuentis fidem se abrogaturũ putauit ex ipsorum inter se discrepatibus sententijs, ut fateor satis firmũ esse argumentum, ita illi si rationem suam ipse ualere uult, cõtra est suscipiendum consentientem ac stabilem eorundem Philosophorum opinionem magnam uim habere ad fidem illis conciliandam. necessario enim penè efficitur, ut si dissensio fidem detrahit; consensus, constansq; auctoritas fidem addat; Proinde eo ipse se laqueo planè induit Sfondratus, quem se Philosophiæ parasse putabat. Nam quanuis ante Aristotelem Philoso

phi in rerum causis explicandis magna fuerint in uarietate, quòd res suas natura maximis obscuritatibus inuoluisset, neq; in tam altis tenebris uerum subito ita elucere potuisset, ut quid sequendum esset liquido appareret, nec statim in ipso initio, cũ homines se primum ad hanc rerum naturalium inuestigationẽ dedissent, Philosophia ad eam perfectam absolutamq; doctrinam, quam nunc cernimus adduci potuisset(ut omnia quæ hominum ingenium inuenit primo rudia sunt, atq; informia deinde paulatim ita tractatione excoluntur, ita ab usu assiduaq; hominum meditatione, & ingenij contentione quotidie poliuntur, ut ad perfectum tandem, absolutumq; statum perueniant) tamen posteaquam fato quodam de cœlo demissus est Aristoteles, pulcherrima hæc omnium artium & doctrinarum Philosophia ad eum diem rudis & inchoata, tandem perfecta est. omnia enim naturæ claustra diuinus uir cœlesti ingenij acie penetrauit, clarissimumq; lumen hominibus ad naturales causas perlustrandas prætulit, omnesq; tenebras, quæ ueritatem rerũ tandiu nos celarant, discussit, eamq; in oculis hominũ posuit; ac superiorũ Philosophorũ errores monstrauit; aditumq; nobis ad cœlestes res prius obstructũ patefecit; Duxq; nobis ad eas cognoscendas fuit. Cuius ueritatis simulatq; ipsa illuxit, is splendor eaq; uis fuit, ut omniũ hominũ ingenia ad se se attraheret, Aristotelisq; rationibus cogeret assentiri. Videmus.n. cæterorũ opinionibus explosis ad nostram usq; ætatẽ Aristotelis doctrinã ab omnibus acceptã, neq; quenquã ab illa discrepare; Hãc e Græcia euectam toto orbe terrarum peruagatam esse; hanc ab omnibus qui postea in Philosophia clari fuerũt, repudiatis alijs amplexam; hanc a cunctis populis approbari; hãc omnia Gymnasia celebrare; hanc Doctores discentibus tradere. Tantus;

tamq; perpetuus omnium hominum, & nationũ consensus quã ti faciendus sit in fide rebus ab Aristotele traditis adiungenda nunc non disputo. Mihi enim satis est demonstraſse argumentum Sfondrati, quod ex Philosophorum dissensione in Philosophiam inflixit, non modo nihil contra nos facere, sed Philosophorum causam contraria ratione in primis confirmare. Hæc ferè sunt, quæ mihi nunc contra hanc Sfondrati orationem uenerunt in mentem, quæ non tam disputandi consilio uobis exposui, maioris enim est otij (ut dixi) & diuturnioris cogitationis, quàm ut uobis morem gererẽ, neq; ut Folietam ab incepto reuocarem, suo enim iudicio ferri est sinendus. Quæ an uobis probentur nescio; mihi certe ita uera uidentur, ut neminem putem ex animi sententia ab ijs posse diſsentire. Hic Moronus Feres tamen puto æquo animo si hi duo uiri a te diſsenserint. Tũ Sighicellus. Suo, inquit, arbitratu. quasi uero magna aliqua mea res hic agatur; ac non meridianarum horarum molestiæ leuãdæ causa hæc a nobis disputatio suscepta sit. Itaque quantumlibet contra disputent, oratione tamen; nam animo diuersa sentire, ac rerum naturæ contemplationẽ in uituperatione ponere, ut fecit Sfondratus ne iuratis quidem unquam credam. Tum Moronus quid de horum inquit opinione Sighicelle tecum statuas, nihil nunc facimus; neq; causa hæc corã iudice agitur, ut necesse sit iusiurandum dare. Itaq; Antoni quoniam mihi arbitrium permisistis, ut utrum uestrum, qui Sighicello responderet, eligerem; non grauaberis ad omnia, quæ is contra Sfondrati orationem intulit, respondere. Neq; uero te Folietæ prætuli quo illum minus idoneum putem, sed quod in animo habeo in hac re munera inter uos partiri. Itaq; postea dicam, quas eſse Folietæ partes uelim; petoq; ab ambobus, ut sine retractatione

meo iudicio uterq; stetis. Tum ego neq; in hac inquam, neq; ulla alia in re Morone tibi unquam aduersabor; Tantumq; abest ut tuum iudicium in hoc respondendi onere Gallesio mandando non probem, ut contra magnam tibi ob eam rem gratiā habeam. Nam cum de Sfondrati gloria non minus, quàm de mea laborem, quid mihi gratius facere potuisti, quàm ad eum uirum Sfondrati defensionem delegare, qui cum si quæramus, qui illam uel doctrina, uel ingenio, uel eloquentia possit sustinere, neminem omnino ex omnibus reperiamus, quem cōferamus? Accedit quòd non omnino insolita est Antonio hæc disputatio. Doctissima enim eius epistola circunfertur, quam te etiam legisse puto, in qua uiri clarissimi & eloquentiæ laude nemini secundi Iacobi Sadoleti Cardinalis rationes refellit, quibus ille Raynutium Farnesium Cardinalem a Iuris ciuilis studio ad Philosophiam quadam sua Epistola nititur reuocare. Tū Antonius. Nullius inquit, potius hæ Sfondrati defendendi partes fuerant Folieta quàm tuæ. Sed quoniam libenter omnes a nobis in alios onera reijcimus; neq; iam licet nobis Morono aduersari, cuius nos arbitrio ipsi subiecimus; isq; se tuum tibi etiam pensum reseruare dixit, omissis ambagibus Sighicello respondebo. Itaq; nimiam Sighicelle in Philosophis insectandis Sfondrati asperitatem (sic enim appellabas) principio accusasti, quam rem fidē quoq; homini derogaturam confirmasti. In quo remittimus hoc uobis Philosophi (ad eos enim orationem conuertam ne si quod uerbum paulo fortasse grauius imprudenti exciderit, uidear te ipsum læsisse) Remittimus inquam hoc uobis, ne nostram uicē, quam fidem homines nobis habituri sint, laboretis. Vehemēs autem, nimium aut asper uideri non debet. nam quemadmodum cum inter bonas herbas duæ, aut tres nocentes nascuntur,

ſolét agricolæ terra, ſarculo uel ſummis digitis leniter reiecta, ne bonas quoq;, quæ ſunt proximæ lædant, eas educere; Cum uero filix totũ agrum occupauit bipalio alte adacto, omnes radicum fibras euellere, ita cum ſplendidum illud Philoſophiæ nomen imperitos adoleſcẽtium animos penitus interdum ſoleat occupare, atq; admiratione defigere, non leuiter aut remiſſe ſed acriter & incitate Sfondrato agendum fuit. Cum præſertim conciones ad animos permouendos adhibitæ, niſi uim quandam incitationemq; habeant, non ita probentur, ac penè lãgueſcant. Illud etiam accedit, quòd ut in ſenibus ſemper laudata eſt moderata quædam lentitudo, ita in adoleſcente hæc animi remiſſio non ferè laudem habet, quare ardorem hunc, quem aliquis inconſultius fortaſſe peruellet; demus nos ſiue neceſſitati, ſiue Sermonis generi, ſiue adoleſcentiæ. Hic Sighicellus, dabo (inquit) Antoni ego quoq; libenter hoc Sfondrato. Neq;.n. tu illi amicior es, quàm ego. Cum præſertim mihi tu illud des, quamobrem hoc attigi, uim hanc, qua uſus eſt Sfondratus ad animos potius permouendos, quàm docendos pertinere. Et Galleſius. Permouit me, inquit, ſimulq; docuit Sfondratus. neq; minus argumentis quàm orationis contentione uſus eſt; quod cum ex ipſius orationis lectione, ſiquis diligenter rationum momenta perpenderit, tum ex ijs quæ ego ad defenſionẽ dicturus ſum facile, ut ſpero, apparebit. Sed antequam ad ſingula, quæ reprehendiſti, ordine reſpondeam, illud præmuniendum uidetur, me tametſi nulla in re a Sfondrato magnopere diſſentio, tamẽ non eo animo diſputare ut Philoſophiæ ſtudium, quod ille fecit uituperem; cum mihi ſatis ſit ad id quod intenditur hoc eſt iuris Ciuilis ſtudium Philoſophiæ eſſe præferendum, ſi tenuero actionem contemplatione dignitate præſtare. Vtrum por-

rò hæc Philosophorum contemplatio in laude an in uituperatione sit ponenda, nulla causa est cur sententiam meam de ea re nunc exponam. Illud tantum dicam, me ut illorum consilium qui nimiam operam, nimiumq; studium atq; adeo totam ætatē suam in rebus naturæ nunq; ad ueritatem satis perceptis inuestigandis ponant, nunquam probarim, ita multorum ingeniosorum hominum, qui omnibus ætatibus in ea re consenuerint, uerecundia ab hac naturali Philosophia uituperanda impediri. Ab ea uero opinione in qua semper fui, grauiora, nobilioraq; et præclaro homine digniora esse ea studia, quæ ad Ciuitates moresq; hominum regendos, uitamq; cum laude traducēdam pertinent, quàm quæ ad rerum naturæ cognitionem & contemplationem referuntur, nullius unquam oratio me dimouebit. Quod tu Sighicelle, ut faceres, ab auctoritate orsus es; cōsentientemq; omnium hominum, ut ipse aiebas, & seculorum opinionem, cōtemplationem actioni esse anteferendam nobis opposuisti, quin etiam Diuina auctoritate eam confirmasti. In qua re quanquam Philosopho homine indignum est, cum rationum momenta in disputando tantum sint ponderanda, ad auctoritates confugere, quæ potius fori sunt & iudiciorum, tamen quoniam tibi ita agere libuit, nihil mea sententia afferre potuisti, quod cōtra te faceret magis, libenterq; ego in hac controuersia expedienda (si tu ita uis) auctoritate staturus sum. Nam ut non inficior eorum qui de hac re scripserunt, contemplationemq; & actionem inter se compararunt, multo maximā partem cōtemplationi primas tribuisse, quanuis nonnulli scriptores, ijq; nobilissimi ab illis dissenserint; in quibus fuerūt uiri apud Græcos clarissimi Socrates & Xenophon, qui etiam hanc naturalium rerum contemplationem irridebant, & apud nostros Ci-

cero ac

cero ac Plinius, qui etiam furorem appellabat, abditas naturæ causas inuestigando persequi; illasq; se arbitrari quenquam scientia posse comprehendere, sed tamen ut nolo inficiari constantiore scriptorum sententia contemplationem in prima commendatione poni, ita tu negare nõ potes, qui ita statuunt uiros fuisse contemplationi deditos, naturæq; uitio fieri, ut plurimum unusquisq; suo studio tribuat. Quid igitur si ex altera parte tam multorum clarorum uirorum, eorundemq; sapientissimorũ hominum opinionem tibi opponam, qui longe plus actioni, quàm contemplationi dederint; eorumq; tam magnus sit numerus, ut præ illis scriptores tui uix compareant, tamen ne etiam audebis affirmare hominum & seculorum auctoritatem tecum facere? Quod ut planum fiat, non te latet puto animi nostri sententiam non tam uerbis, quàm multo magis factis declarari. qui igitur rerum naturæ contemplatione neglecta totum se actioni dat, is scilicet declarat potiorem se actionem cõtemplatione existimare. Neq; enim uiri præstanti ingenio præditi temere se ad aliquod uitæ genus applicant, sed quod maxime probant ad illud se conferunt. quod in Ciuili uita in primis est suscipiẽdum. Etenim actio, rerumq; humanarum administratio plena est laborum, solicitudinum, curarum, fortunæq; innumeris casibus obiecta, ut nulla uoluptatis illecebra animos hominum ad se se trahat; at illa altera contemplationis uita tuta est & tranquilla, nulliusq; rei indigens, & unicuiq; qui illam uelit amplecti facilis & in procliui; ut neminem dicendum sit cũ contemplationem magis quàm actionem probet, laboribus tamẽ ac periculis deterritum, molestijsq; debilitatum ad actionem se se conferre, quin potius multos accepimus cum et naturæ impulsu, animiq; propensione, & consilio ad actionem ferrentur,

innumeris malis, quibus ciuilis uita est infesta, ad contemplationis otium, ut fuit aliquando uir ad agendum, ciuilesq; res tractandas natus Cicero, reuocatos. Porrò si omnium temporum historias legas, tam multos claros uiros præstantissimisq; ingenijs ac singularibus uirtutibus præditos & apud Græcos & apud nostros & apud omnes nationes inuenias omne studium atq; operam et ætatem suam in rebus humanis uel in bello, uel in pace administrandis posuisse, ut ex altera parte Philosophi quiq; se se contemplationi dederunt, collati siue turbam plebeiorum Philosophorum, quorum nulla scripta extant, quiq; omnibus ætatibus fuerunt cum humilibus & obscuris hominibus, qui in actione ætatem egerunt, quorũ nomina sunt ignota, siue claros Philosophos, quorũ multa sunt ingenij monumenta præstãtibus Imperatoribus, cæterisq; uiris ciuilibus, quorũ tam multa præclara facinora legimus, cõferas; ne minimæ quidem partis instar sint. Quod si meliore ratione ductos Philosophos, quãuis pauciores sint respondeas; non nunc rationum momenta ponderamus, de quibus mox uidebimus, neq; enim in ea quoq; re certamen detrecto, atq; adeo disputandi auidissimus sum, sed consentientis præclarorum hominum opinionis, quorumq; uel in literis & rebus naturæ inuestigandis, uel in rebus gerendis, publicisq; negotiis administrandis nomẽ clarum extet, auctoritatẽ querimus. Quòd uero Diuinã auctoritatẽ in contẽplatione extollẽda nobis opposuisti, ut nobis uidelicet religionẽ inijceres, ac timorẽ, ne uideremur nos nefario scelere obstringere, si contra eam auctoritatem oculos attollere ausi essemus, nulla res est, ex qua nos facilius expedire possimus. Quid enim habet uel similitudinis uel coniunctionis Christiana pietas & contemplatio cum Philosophorum contemplatione? Atq; adeo,

quæ res omnino sunt, inter quas maior sit distractio? Etenim illa neq; sensibus, neq; rationibus nititur, sed Diuino numine mẽtem hominibus dante a pijs & christianis hominibus suscipitur. qui non stultum modo & inane, sed impium quoq; ac nefarium putant de Diuinis rebus quicquam omnino loqui aut cognoscere studere, nisi ea quæ Deus ipse Opt. Max. aut libris suis sanctissimis, aut lumine quod mentibus piorum præfert, ijs hominibus declarat, quos tanto honore dignatur. At huius Philosophorũ inuestigationis diuersa omnino ratio est, superioriq; planè aduersa, quæ ex sensibus & humana ratiocinatione ad diuinas res cognoscẽdas per summam arrogantiam, atq; stultitiam (libere enim dicam quod sentio) gradum faciat. Quæ res tantum abest, ut diuina auctoritate actioni præferatur, ut christianæ pietati, ueroq; Dei cultui nihil magis repugnet; Paulusq; aperte prædicet, hanc Philosophiam inanem planè rem esse. Tota autem nostra disputatio non de contemplatione est nobis instituta, sed de ea contemplatione ad quam humani ingenij uis sensibus ac ratiocinatione potest aspirare, quam Philosophi amplectuntur, quam laudibus extollunt, qua deniq; diuinos se fieri dicunt; pij uero homines repudiant, floccifaciunt, seq; illa a uero & simplici Dei cultu ad impias opiniones traduci putant. Argumentum igitur ab auctoritate, quo maxime confidere uidebaris, quàm belle in te infligatur, puto te intelligere. Proximum fuerat quod ægreferebas huic contemplationi Sfondratum tam esse iniquum, ut illam insectaretur, quòd ad earũ rerum quas quærit, ueritatem inuestigãdo non perueniat, neq; res cœlestes scientia planè comprehendat, cum in eadem reprehensione & hæc ipsa actio, quam illi anteponit & cæteræ ferè artes perfectũ illud omnibusq; partibus absolutum, quod

ipsis est propositum, non assequendi uersentur. Vt non satis perspicere te diceres, quam nã dissimilitudinem a reliquis omnibus humanis rebus contemplatio hæc haberet, ut cum nulla omnino res absoluta sit atq; perfecta, cæteræ tamen omnes res præter contemplationem ferantur ab hominibus & colantur, contemplatio tantum sit abijcienda. In qua re non satis sighiscelle te poteram mirari, acumenq; illud tuum requirere, qui perspicuam differentiæ causam non uideas, ut cum in actione & cæteris humanis rebus mediocritas sit ferenda, eadem in contẽplatione tolerabilis non sit, non nihilq; hanc rẽ attingere, quod de Poetis Horatius tradit.

Certis medium & tolerabile rebus
Recte concedi. Consultus iuris & actor
Causarum mediocris, abest uirtute diserti
Messalæ, nec scit quantum Cassellius Aulus,
Et tamen in pretio est, mediocribus esse Poetis
Non homines, non Di, non concesßere columnæ.

Hoc idem usu uenire contemplationi & actioni ex finiũ diuersa inter se ratione perspicuum est, ut ferenda sit actio, quãuis in uitæ muneribus colendis nunquam omnia officij momenta ita perfecte exprimat, ut non aliqua pars eius, quod præstare debet, illi desit; Contemplatio uero si ad scientiam non perueniat, non sit toleranda. Huius enim inuestigationis & contemplationis finis est cognitio ueritatis, ueritas porrò una est tantummodo, neq; in ea gradus ulli sunt, ut dici posſit in cognitione rerum, uerum hoc quidem esse, illud autem uerius, illud porrò uerissimum. nihil enim uero uerius est, quiq; ad illud uerum quod est tantummodo unum non peruenit, is planè errat, ac fallitur, falsumq; prorsus dicit. Infinita est igitur a ueritate

erratio; ueritatis uero comprehensio una est dumtaxat, siquidē infinitis omnibusq; modis a uero aberramus, uno tantum uerū assequimur. ad quod qui non perueniunt, ij omnes pariter errant, falsiq; sunt. Vt si quæramus ubinam gentium sit hoc tēpore Rex Gallorum, aliusq; dicat eum esse Lugduni, alius in Tolosatibus, æque omnes mentiantur, si is Massiliæ sit. Ita omnes labi dicendum est, siquis causam hanc, uel hanc, uel illam, uel alteram afferat naturalis alicuius rei, cum fieri non possit ut plus una uera sit, omnesq; falsæ esse possint. neq; uero huic nostræ rationi repugnat, cum suscipitur hanc opinionem uel illam ad uerum propius accedere, uerioremq; esse. Non enim hæc oratio eam habet subiectam notionem, ut gradus in ueritate inducat, quos apparet nullos omnino esse posse, neq; si hoc uerum sit, longius tamen quàm illud abest a falsitate. quæ.n. uera non sunt, pariter falsa sunt, sed ea est adhibēda interpretatio, eamq; uim habere est existimanda hæc uerborum conceptio, propius ad uerum aliquid accedere; ut homines coniectura & ratiocinatione statuant uerum hoc esse, cætera falsa, id est hominum opinionem & sententiam coniectura propius accedere, magisq; eò ferri ac propendere, ut putent hoc uerum esse in aliqua re, Cætera quæ afferuntur falsa. At actionis finis officium est, & rectum; in officio autem gradus sanè plurimi inueniuntur (ab omnium enim hominum, consentienteq; orbis terrarum auctoritate explosa est stoicorum sententia, quæ distinctionem in peccando excludebat) ut hoc bonum quidem sit & rectum, illud uero melius & rectius, illud item melius, illud deniq; optimum et rectissimum, bonoque perfectus aliquid existat; fieriq; potest ut in eadem uirtute alter altero maiores progressus habeat. Neq; enim si quis bonus sit Imperator,

multaq; egregia facinora ediderit, plurima prelia secunda fecerit, hostes sæpe acie uicerit, militum sæpenumero seditiones compresserit, ignarus rei militaris erit existimãdus, quãuis ad summum illud Iulij Cæsaris aut Annibalis scientiæ gradum se nondum peruenisse fateatur. Nam quanuis a tantorum uirorum laudibus longe absit, non tamen nullo interuallo hominẽ rei militaris expertem, atq; omnino ignarum anteibit. Idem de fortitudine, temperantia, iustitia, prudẽtia reliquisq; uirtutibus dicendum est, in quibus qui usu & exercitatione processerint, ij & si ad perfectum illum, ac summum gradum non perueniant, ignauis tamen hominibus, timidis, incontinentibus, iniustis, stultis, earum uirtutum quarum magna ex parte cõpotes sunt, commendatione erunt anteferendi. Idq; ideo quòd in rebus administrandis ut plus uno perfectũ esse non potest, quod haud scio an in ullo homine insit, aut uero inesse possit, ita tolerabiles sunt officij, prudentiæ, & probitatis gradus. Non igitur actionis munera ab hominibus sunt deserenda, quod ad perfectam illam, omnibusq; partibus absolutam speciem nunq̃ perueniant, sed prudentiæ, uirtutisq; officia diligentissime sunt obeunda, hominibusq; acriter urgenda, quorum qui ingenio et labore compotes fiunt, ij tantum ab ignauis distant, ut præ illis Deorum penè instar sint; neq; si nullæ leges ferri possunt, quæ homines illis obtemperantes beatos planè efficiant, quod illis est propositum, ideo legum condendarum cura est omittenda. quæ saltẽ homines a miseria prohibeant, ac ne suo se quisq; arbitrio regat, mutuisq; se rapinis, discordijs, cædibusq; conficiant, impediant. An actionem negligendam dicet, qui secum ipse reputauerit multas prouincias, quod non essent, bonis legibus temperatæ, uel quod leges negligerentur, funditus euer-

ſas eſſe;multas contra,quæ bonos legislatores ſortitæ fuerint, in quibusq; legum obſeruantia uiguerit, infinitis ſeculis floren tiſſimas,beatiſſimasq; uixiſſe? quiq; animo agitauerit, ex rerũ in Ciuitate temeraria & inconſulta adminiſtratione tantam rerum perturbationem exiſtere,ut uoluntario exilio Ciues Pa tria ſibi carendum putent. Contra cum res conſilio & prudẽ tia geruntur, ita omnia proſpere cedere,eamq; eſſe Ciuitatis fortunam,ut ex alijs ciuitatibus quamplurimi homines in bea tam hanc commigrent,ſibiq; in illa ſedes domiciliumq; conſti tuant. Atqui ne hæc quidem,quæ recte & ex legibus admi niſtratur ad perfectum illud uiuendi genus peruenit, quod illi propoſitum eſt; fateor; tamen ne dicemus nihil a perdita illa euerſaq; differre? Perſpicuum igitur eſſe arbitror in actione, rebusq; agendis gradus inueniri, qui quãuis perfectũ illud om nibusq; bonis cumulatum & cunctis numeris abſolutum, quod quærendum eſt, nõ aſſequantur,ſummæ tamen ſint hominibus utilitatis,quiq; ſi homines nõ planè beatos perfectosq; reddũt, eos tamen a miſeria & prauitate uindicant. quod idem in co gnitionis & contemplationis ſtudijs,quæ ad uitam hominum nullum uſum habent,quibusq; ueritatis cognitio eſt propoſita, quæ una tantum eſt,neq; gradus ullos habet,nequaq̃; eſt ſuſci piendum. In quibus ſtudijs ſi quis ueritatem non aſſequitur,is liquido operam profundit. Summa deniq; hæc eſt. In contem platione qui uerum illud,quod unum tantum eſt,ſcientia non comprehendunt,ij planè mentiuntur,neq; eorum qui falſum di cunt,alius alio magis uerax eſt,aut minus mentiẽs. At in actio ne qui perfecta illa,abſolutaq; officij momenta non exequun tur, ij non continuo mali ſunt ac perditi homines & ignaui, ſed boni ac ſtrenui,plurimumq; a nefarijs & ſtultis diſtant,

Quo ſit ut argumentum tuum, quod nititur contemplationis mancam et imperfectam uim cum actione ipſa quoq; aliqua ex parte claudicante, in comparatione coniungere; eidemq́; reprehenſioni ad perfectum non perueniendi ſubijcere, eneruatũ ſit, neq; recte inferatur. Sequitur illud, quo nihil te putaſti, aut ad Philoſophiæ commendationem grauius, aut ad ſpeciem inſignius afferre poſſe, plura ac perfectiora de Deo cognouiſſe Philoſophos, quàm ullos alios homines. Cumq́; cæteri homines uaria Deorum portenta colerent, tam innumerabiles opinionũ labes mentibus hominum conceptas Philoſophos deleuiſſe, ueramq́; Dei notitiam in homines induxiſſe. quo beneficio nullum ſtatuebas eſſe potuiſſe diuinius. In qua re uide, quam a te Sighicelle diſſentiam. Ego enim nulla re magis Philoſophiã premi puto, quàm hac, quam tu ad Philoſophiæ gloriam uis in primis ualere. Etenim quæro cum Dei cognitio hominibus non modo omnium rerum ſit utiliſſima, ſed omnium bonorum fons & origo, quam præcipuam ex ea homines utilitatem capiãt? nullam profectò reſpondere potes, quàm ut Deum colant, religionemq́; & pietatem illi adhibeant. Quid ergo ſi doceo hanc Dei cognitionem a Philoſophis in homines inuectam tantum abeſſe, ut religionem auxerit aut confirmarit, ut eam partim imminuerit, partim extinxerit, an nõ iure, uel hoc nomine ſummo hominum odio digna erit Philoſophia, quæ Religionẽ, qua una re homines Deo cõiunguntur labefactarit atq; ſuſtulerit? Quod ita oſtendo. Neq; enim Philoſophi tam Dei notitiam in homines induxerunt, hoc eſt non tam homines docuerunt eſſe Deum, quàm diuinam naturam hoc eſt, quid ipſe Deus ſit, ſunt explicare conati. Etenim nulla unquam natio fuit tam barbara, nulli ferè populi ſunt inuenti, quorum mentibus non fuerit inſculptũ

rit insculptum Diuinũ aliquod numen esse, eiusq; nutu res humanas geri & administrari. Hãc enim confessionem cœli admirabiles conuersiones, perpetuusq; naturæ tenor tantaq; cum prouidentia mundi et singularum eius partium fabricatio uel ab inuitis exprimunt. Itaq; nullus unquam populus fuit omnis prorsus expers religionis, quiq; non aliquo cultu, atq; aliquo sacrificij genere Deos sibi cõciliare ac propitios facere, eorũq; iras a se auertere pro disciplina haberet. Ac pauci admodum fuerunt, qui nõ omnium rerũ causam, ac quæcunq; hominibus accidunt ad Deos auctores referrent, quiq; non putarint quæcunq; homines gerant a Dijs animaduerti recteq; factis beneficia, maleficijs & sceleribus pœnam & supplicia ab illis constitui. qua opinione nihil ad humanam societatem tuendam est aptius aut utilius. proinde Deorum numen ab innumerabilibus populis sanctissime omnibus ætatibus cultũ legimus, quod ne periurio aut templis, rebusq; sacris uiolandis, aut ulla alia re læderent summa cura cauisse, nullasq; grauiores pœnas in maleficos & nefarios homines ullas constitutas quàm in eos qui aliqua in re religionem uiolassent. Cũ igitur hac cura pietatis aduersus Deos tuendæ homines in primis cõtinerentur, si quid ipse Deus esset, cognoscere non possent, cum hanc naturæ suæ notitiam tantis obscuritatibus Deus inuoluerit, ut ad eã comprehendendam humanæ intelligẽtiæ imbecillitas nequaquã possit aspirare, quis non illis ignoscat? Cumq; homines prudẽtes Deum omnino esse intelligerent, quid uero ipse esset, populis, quos legibus formandos acceperant, explicare non possent, aliqua omnino res ex ijs quæ cernuntur fuit illis comminiscenda, quam pro Deo rudibus populorum ingenijs, quorum mentibus oculorum et sensuum commendatione rerum notitiæ sunt

insinuandæ, colendam proponerent. Itaq; alij sole, alij luna, alij elementorum aliquo, alij alia re, cuius euidens esset in hominibus utilitas, Deo usi sunt. In qua re quis non præclarorum hominum pietatem, studiumq; hominum in Diuino cultu retinendorum, prudensq; consilium in religionibus formandis, cæremonijs tradendis, sacrificijs instituendis, templis, locisq; sacris dedicandis beneuolentia potius ac laudibus complectatur, quàm inscitiam in Diuina natura nõ percipienda, quæ magnitudine, infinitateq; sua humani ingenij imbecillissimam uim superet et effugiat, orationis acerbitate insectetur? Cum igitur Deum esse, eumq; ab hominibus ut omnium rerum auctorem colendũ esse, iã sine Philosophis hominibus sit persuasum, uideamus utrum hæc Diuini numinis paulo perfectior cognitio, quam Philosophi iactant, cultum ueriorem, magisq; pium induxerit, an religionem in animis hominum iam diu inueteratam labefactarit & magna ex parte euulserit. Ex qua re apparebit utilisne & salutaris ac laudandus, an contra inutilis & pernitiosus ac uituperatione Dignus in diuina natura indaganda fuerit Philosophorum labor? Nam ut Philosophi perfectiorem Diuinæ naturæ notitiam a fabulisq; remotiorẽ hominibus tradiderint, de qua tamẽ re mox uidero, tamen non tanti est apud me neq; uero apud quenq; pium, ac sapientem uirum hæc cognitio præsertim tam adumbrata, ut si ex ea religionis, pietatisq; aduersus Deum imminutio existat, non potius sit uituperanda ac fugienda, quàm laudanda & accipienda. Igitur Philosophorum non nulli ut Diagoras Milesius, Theodorus Cyrenensis, Eueus Tegeates Deum omnino esse negant; Impij, ac perditi homines. explodendi igitur. Puto te Sighicelle non repugnaturum. Alij, ut Epicurus & sectatores Deos quidem ponunt, sed

prouidentia illos rerumq; humanarum procuratione priuant religionemq; & hi funditus quoq; tollunt. Nihil & hi superioribus minus pernitiosi. Exterminentur igitur hi quoq;. Quibus ac cæteris Philosophorum scholis, ne longum faciamus, neglectis, ad Peripateticos, atq; Aristotelem tuum accedamus; Quorum opinionẽ ut fateor in Diuini numinis natura explicãda multa probabiliora et Diuinæ menti cõueniẽtiora attulisse, quàm de illa ueterum leges credendum imperarint, ita ad cultum Diuinum tollendum, religionemq; penitus extirpandam superioribus Philosophis aut ijs, qui Deos esse aperte negarunt, aut ijs qui Religionem improbarunt, etiam statuo esse capitaliorem. Nam quemadmodum cæterorum apertam impietatem facile cauentes uitare possumus, ita periculosissima est illa impietas, quæ in simulatione ueræ Dei cognitionis latet. Ex ijs.n. quæ tute paulo ante de Diuina natura ab Aristotele satis subtiliter & acute tradita ex duodecimo libro primæ Philosophiæ pronuntiasti, apparet Aristotelem eum nobis Deum formasse, cui nulla causa sit cur homines ullum cultum, aut pietatem, aut Religionem adhibeant. Nam qua tandem ueneratione, aut reuerentia, aut pietate, illum Deum prosequar, quo ue metu eius numinis lædendi continebor, qui omni facultate careat, ut tute paulo ante ex Aristotele confirmasti, qui rebus quæ fiunt necessitatem quandam naturalem & non Diuinam uoluntatem et arbitrium adhibet, ut quemadmodum ille de Deo prædicat, nullius rei Deus habeat facultatem, neq; in eius potestate sit hoc facere, illud omittere, cuiq; præter perpetuũ naturæ tenorẽ ullas miras res, aut nouas edendi ex Aristotelis sentẽtia facultas abiudicetur; ut neq; sontes et nefarios homines pro sceleribus plectere possit, impiorũq; improbitatẽ supplicijs ulcisci, pijs

uero hominibus ulla premia tribuere? qui deniq; res humanas non animaduertat; neq; curet; neq; uero curare possit, quod genus uitæ colant homines cum pietate ne & iustitia, & a uitiorum labe puram atq; integram, an uero scelerum & flagitiorum sordibus inquinatam. Itaq; hæc Dei cognitio, quanuis apertior, Diuinoq; numini cõgruentior, quæ Diuini cultus interitum secum coniunctum habet, in admiratione ac laudibus et beneuolentia, an in contemptu & uituperatione atq; odio hominibus, non Christianis modo, sed etiam ijs, qui ciuilem uitam colunt, quæ sine Religione corruat necesse est, sit habenda; ipse iam Sighicelle intelligis. Cum præsertim ea quæ Philosophi de Deo tradiderunt dubia sint & incerta, nihilq; ita exploratum sit, quin refelli possit, Procul igitur ab hominum coetu amandetur hæc de Diuina natura Philosophorum disputatio, quæ cũ tam magna impietatis mercede hominibus accidit. Longe enim est præstabilius Deum cum quis nam ipse sit prorsus ignores modo Deum esse fatearis, colere, ac uereri; facinorumq; quæ homines admittunt spectatorem & ultorem putare, proinde solicitum esse, ne qua in re ab ijs rebus quas illi gratas esse leges tradunt, declines; quàm cum nonnulla de eius natura paulo acutius quàm cæteri homines ad gloriam ingenijq; opinionẽ tibi conciliandam locutus fueris, nullo metu Deorum terreri, quem contemptum Philosophi in prima ferè studij sui commendatione ponunt, cum dicant.

Felix qui potuit rerum cognoscere causas;
Atq; metus omnes & inexorabile fatum
Subiecit pedibus, strepitumq; Acherontis auari.

Impia uero uox & execranda, qua nulla pio homine & ad ciuilem societatem nato potest esse indignior. Ille ne ut beatus

ſit, qui ſuppliciorum metu, impiorum ac nefariorum hominum manibus conſtitutorum a ſe penitus ablegato, quiq; reliquos homines ea formidine imbutos, atq; ideo ne aliqua in re ius & pietatem uiolent ſolicitos irridens, omni ipſe prorſus Diuini numinis ultoris terrore liber nihil ſancti aut puri habeat, nullumq; inter fas & nefas diſcrimen faciat? Ego uero tantum abſum ut eiuſmodi genus hominũ beatum putem, ut nullos magis miſeros ſtatuam. Neq; tu nunc dicas mihi Ariſtotelẽ nonnullis in locis pietatem erga Deos atq; homines pios laudare, quin etiã aliquos Dijs cæteris hominibus chariores eſſe prædicare. nã ſiue legum metu cõmotus, ſiue famæ & opinioni hominum ſeruiens, ſiue quõd diſputationum quas tunc tractabat, ratio ita poſtularet (De moribus enim diſſerebat, in qua doctrina tradenda non ueras ſe rationes perſequi ipſemet præ ſe fert, ſed ex uſu hominum uitæq; ciuilis conſuetudine depromptas, ut quod de rebus communis, conſentienſq; hominum ſtatuat opinio, ad id ſe ſententiam ſuam potius quàm ad ſubtilitatem diſputandi in eorum librorum initio teſtetur accommodaturum) ſiue quo alio conſilio id faciat, nihil mea; doctrinã eius, in qua ut in proprio loco de Diuino Numine quærit, accuſo et uitupero a cœtuq; hominum amandandam cenſeo, quæ per ſpeciem Diuinæ naturæ deſcribendæ religionẽ aduerſus Diuinũ Numen tollat atq; euertat. Neq; enim ubi homines omni prorſus facultate Deum priuent, Diuinaq; opera ad naturalem quandam & immutabilem neceſſitatem, perpetuumq; ordinem reuocent, quẽ nec Deus ipſe poſſit immutare, ibi ullus metus Deorum conſtare poteſt. quo ſublato omnis ſimul cum eo Religio tollitur. Quod igitur ad Philoſophiæ commendationem in primis ualere contendebas, id quàm belle in eam ad uituperatio-

nem infligatur Sighicelle iam uides. Venio nunc ad illā disputationis tuæ partem, qua nulla esse splendidior potest, in qua tam multa de Diuina natura ex Aristotelis sententia disseruisti; initioq; disputationis in Sfondrati impudentiam (sic enim appellabas) es inuectus, qui cum Aristoteles Diuinam naturā ita præclare & aperte nobis explicauerit ac descripserit, non dubitauit tamen dicere Deum negando duntaxat ab hominibus cognosci, ut nulla res sit, quæ aut tibi, aut cuiuis, qui de rebus recte ac sine liuore uelit existimare, maiorem stomachum facere possit, quàm quod summum beneficiū perspicuæ Diuini numinis cognitionis a Philosophis habemus; illud per impudentissimum mendacium omnia ad negationem reuocando extenuare & in contemptum adducere. Quæ indignatio, Sighicelle, pace tua dixerim, nulla mihi sanè ratione suscipi uidetur. Neq; enim quæcunq; de Deo ab Aristotele dicta recitasti, ea quid Deus sit, aut Diuinam essentiam nobis planè exprimunt. Immortalem enim & æternum esse Deum, actumq; merum sine facultate ac materiæ admistione, immobilem, immutabilem, infinitum, indiuisibilem, hæc atq; alia eius generis, quæ Deo accidere dicuntur, neq; essentiam ipsius exprimunt, & negationis naturam attingunt. Interitus enim & facultatis & materiæ contagionis & motus & mutationis et sectionis Deum expertem faciunt, idest negāt obitum, facultatem, materiam, motum, mutationem, terminum, sectionem in Diuinam naturā cadere. Vt mihi quidem uideatur Sfondratus in ea re nulla mendacij impudentia notandus. Vtrum porrò hæc & cætera de Diuina descriptione ab Aristotele optima cum ratione dicantur, an contra, nulla sanè causa est, cur nunc disputem. nō enim id magnopere pertinet ad quæstionem nostram. Nam ut omnia quæ

in libro duodecimo de prima Philoſophia, cuius tu capita tan-
ta cum hominis admiratione attigiſti, ueriſſima ſint, cum tamẽ
ita exilia ſint, atq; ad Diuinam eſſentiam cognoſcendam ne ſu-
ſpitione quidem accedant, nunquam efficient, ut eiuſmodi con-
templatio anteponenda ſit actioni. Quanquam ſcio omnia ferè
quæcunq; de Diuino Numine Philoſophi dixerunt, quæ a no-
ſtra Religione abhorreant, cuiuſmodi eſt Cum Deum in agen
do facultatis arbitrio priuant, eiusq́; opera ad neceſſariam na
turæ rationem reuocant a theologis noſtris longe firmioribus
rationibus refelli, quàm a Philoſophis confirmentur, ad quos
omnes, qui eam rem paulo diligentius cognoſcere cupiant, reÿ-
ciendos cenſeo. Vnum tamen eſt, quo tota hæc Ariſtotelis Diui
næ naturæ explicatio nititur, quod ſilentio præterire nullo
modo poſſum. Eius argumenti cum quàm facilis ſit refutatio
oſtendero, tum uero apparebit, quàm huiuſmodi Philoſophorũ
de Deo inueſtigationes, quæ futiliſſimis rationibus & captiun
culis quibusdam nitantur, ſint contemnendæ ludibrioq́; haben-
dus. neq; enim in tã nugacibus rebus magis quàm Sfondrati
orationi poſſum moderari. Nam per illum ipſum immortalem
Deum, cuius naturam Philoſophi quærunt, cuius leuitatis fuit
atq; impudentiæ tantæ tamq́; præclaræ inueſtigationis initia a
captiuncula Ariſtotelem ducere; in req́; omnium grauiſſima
atq; ſanctiſſima ſermones & riſus hominum non uereri? Cũ
non dubitarit totius huius Diuinæ deſcriptionis fundamentum
in captioſa ratione collocare, ut in illam intuentibus confeſtim,
primoq́; aſpectu uanitatẽ ipſa ſuã doctrina hæc prodat. Aeter-
num enim eſſe mundum, omniaq́; eſſe æterna ex motus æter-
nitate confirmat. motum porrò quomodo æternum eſſe demõ-
ſtrat? quòd (inquit) ſine tempore motus eſſe non poſſit, cum tẽ-

nem infligatur Sighicelle iam uides. Venio nunc ad illã disputationis tuæ partem, qua nulla esse splendidior potest, in qua tam multa de Diuina natura ex Aristotelis sententia disseruisti; initioq; disputationis in Sfondrati impudentiam (sic enim appellabas) es inuectus, qui cum Aristoteles Diuinam naturã ita præclare & aperte nobis explicauerit ac descripserit, non dubitauit tamen dicere Deum negando duntaxat ab hominibus cognosci, ut nulla res sit, quæ aut tibi, aut cuiuis, qui de rebus recte ac sine liuore uelit existimare, maiorem stomachum facere possit, quàm quod summum beneficiũ perspicuæ Diuini numinis cognitionis a Philosophis habemus; illud per impudentissimum mendacium omnia ad negationem reuocando extenuare & in contemptum adducere. Quæ indignatio, Sighicelle, pace tua dixerim, nulla mihi sanè ratione suscipi uidetur. Neq; enim quæcunq; de Deo ab Aristotele dicta recitasti, ea quid Deus sit, aut Diuinam essentiam nobis planè exprimunt. Immortalem enim & æternum esse Deum, actumq; merum sine facultate ac materiæ admistione, immobilem, immutabilem, infinitum, indiuisibilem, hæc atq; alia eius generis, quæ Deo accidere dicuntur, neq; essentiam ipsius exprimunt, & negationis naturam attingunt. Interitus enim & facultatis & materiæ contagionis & motus & mutationis et sectionis Deum expertem faciunt, idest negãt obitum, facultatem, materiam, motum, mutationem, terminum, sectionem in Diuinam naturã cadere. Vt mihi quidem uideatur Sfondratus in ea re nulla mendacij impudentia notandus. Vtrum porrò hæc & cætera de Diuina descriptione ab Aristotele optima cum ratione dicantur, an contra, nulla sanè causa est, cur nunc disputem. nõ enim id magnopere pertinet ad quæstionem nostram. Nam ut omnia quæ

in libro duodecimo de prima Philosophia, cuius tu capita tanta cum hominis admiratione attigisti, uerissima sint, cum tamē ita exilia sint, atq; ad Diuinam essentiam cognoscendam ne suspitione quidem accedant, nunquam efficient, ut eiusmodi contemplatio anteponenda sit actioni. Quanquam scio omnia ferè quæcunq; de Diuino Numine Philosophi dixerunt, quæ a nostra Religione abhorreant, cuiusmodi est Cum Deum in agendo facultatis arbitrio priuant, eiusq; opera ad necessariam naturæ rationem reuocant a theologis nostris longe firmioribus rationibus refelli, quàm a Philosophis confirmentur, ad quos omnes, qui eam rem paulo diligentius cognoscere cupiant, reijciendos censeo. Vnum tamen est, quo tota hæc Aristotelis Diuinæ naturæ explicatio nititur, quod silentio præterire nullo modo possum. Eius argumenti cum quàm facilis sit refutatio ostendero, tum uero apparebit, quàm huiusmodi Philosophorū de Deo inuestigationes, quæ futilissimis rationibus & captiunculis quibusdam nitantur, sint contemnendæ ludibrioq; habendus. neq; enim in tā nugacibus rebus magis quàm Sfondrati orationi possum moderari. Nam per illum ipsum immortalem Deum, cuius naturam Philosophi quærunt, cuius leuitatis fuit atq; impudentiæ tantæ tamq; præclaræ inuestigationis initia a captiuncula Aristotelem ducere; in req; omnium grauissima atq; sanctissima sermones & risus hominum non uereri? Cū non dubitarit totius huius Diuinæ descriptionis fundamentum in captiosa ratione collocare, ut in illam intuentibus confestim, primoq; aspectu uanitatē ipsa suā doctrina hæc prodat. Aeternum enim esse mundum, omniaq; esse æterna ex motus æternitate confirmat. motum porrò quomodo æternum esse demōstrat? quòd (inquit) sine tempore motus esse non possit, cum tē-

pus mensura sit motus. Audio; quid uero? tempus igitur est æternum? Quid ni (inquit). nam si aliquem temporis ortum ponas & interitum, atq; ante temporis initium tempus fuisse, ac post temporis interitum tempus futurum neges, tum maxime tempus ponis cum illud tollis. temporis enim differentiæ sunt prius et posterius; neq; a tempore segregari possunt; quin nihil aliud est tempus ipsum quàm prius & posterius in motu. quare si tempus est æternum, necessario & motus qui tẽporis perpetuus est comes, ab ortu & interitu est uindicandus. O inanitatem, O somnia. Hunccine hominem Diuinum appellabimus, qui tam nugacibus rationibus hominum ingenia tanquam præstigijs se capturum sperarit? Quid autem facilius est responsu. Nam primum hæc ratio non tam motum & tempus æternum esse demonstrat, quàm pro demonstrato iam sumit. nihil enim me doces Aristotele quam ob rem probibear aliquod punctum sumere, quod motus & temporis sit initium, idest ex quo tempus labatur & circumagatur. Etenim hæc definitio tempus esse mensuram prioris & posterioris momẽti in motu uera est tempore & motu iam inchoatis, neq; punctũ ullum, aut momentum in temporis motusq; conuersione esse potest, quod nõ idem finis sit præteriti initiumq; futuri tẽporis et motus; ante uero inceptum motum qua re impedior pũctum aliquod capere quod motus & temporis ita sit initium ut prioris motus & temporis nequaquam sit terminus? quæ nostra ratio lineæ exemplo planior fiet, quæ cum sit punctorũ ductus, nullum est in ea punctũ, quod principium sit sequentis processus, quin idem superiorum punctorum fluxus finis sit. fateor iã inchoata linea, sed initiũ et caput lineæ an non illud est punctũ, quod principium cum sit ductus, nullius anterioris

puncti

puncti est terminus? Neq; effugere hanc similitudinem ullo modo potes, si dixeris diuersam esse rationem earum rerum, quæ consistunt, neq; mouentur, cuiusmodi est linea, & earũ quæ perpetuo agitantur, qualis est motus. nam eandem similitudinem ad aliquam rem quæ agitetur, hoc est ad motum ipsum bellissime transferam. Etenim si ego, qui nunc sedeo, neq; ex hoc loco moueor, iam surgam atq; in alium locum ire pergam, tum cum iter incipiam, moueri incipiam, punctumq; illũ cum mouebor, cum prius quiescerem ita illius motus ad alium locum erit initium, ut nullius superioris motus sit terminus. Quod uero prius & posterius cum tempore necesse sit introducere, obsecro te an non cogitatione aliquid depingere possum quod re ipsa non sit? quemadmodum cum tu ipse Aristotele dicis, extra ultimum cœlum nihil est, an quia hoc uerbum extra nullam aliam habet notionem quàm loci, ideo locum extra cœlum ponis? minime sanè, sed negas potius locum ullum reperiri, qui ab extremo cœli orbe non complectatur. ita cum prius tempus fuisse uel posterius futurum nego, ea huic orationi subiecta notio est, ut tempus & motum aliquibus ortus & interitus terminis circunscribam, quos excedere non possint, cogitationeq; tantum prius illud & posterius effingo, ac ne cogitatione quidem sed oratione. Quod si tibi Aristotele homini uidelicet uerborum captatori, rationiq; isti tuæ aliquam ex his uerbis prius & posterius putas auram posse afflari, orationem mutabo, atq; ita posthac uerba concipiam, nullum fuit tempus cum nondum temporis esset initium, uerbiq; prius omissa mentione, quæ te tantopere torquet, mentis notionem planam faciam. Omissa igitur Diuinæ descriptionis ratione, quæ quam futilis nugatoriaq; res sit ex fundamento ubi in pri

mis nititur, apparet, ad alia iam Sighicelle accedamus, singulaq́; ordine persequamur. Questus es igitur eam rem in argumentis, quæ contemplationis causam confirmant recensendis a Sfondrato silentio præteritam, quæ contemplationis commendationem in primis contineat, idest nobiliores esse eas res, quæ ex se ipsæ aptæ sunt, nulliusq́; extrinsecus opis sunt indigentes, cuiusmodi est contemplatio, quæ ad munus suum exequendum se ipsa contenta est; quàm eas, quæ nisi se externis opibus instruxerint, neq; hærere ipsæ neq; munus suum tueri possint. quo ex genere est actio. quæ ratio mihi quidem ad contemplationis laudem minimum sanè ualere uidetur. Nam si hoc suscipiatur; ut quæq; ars hominumq́; actio externis auxilijs minus utetur, ita illam maxime ijs præferamus licet, quarum munus in explicando multiplici extrinsecus ope, plurimoq́; instrumento egeat; quo fiet ut sordida, ac seruilia opificia præclarissimis facultatibus anteferantur. Tonsores itaq; & fullones, quorum artes unius aut alterius ferramenti tractatione munus suum tuentur, clarissimis Imperatoribus, summisq́; ipsis Regibus maiore in honore erunt habendi. Nam ut de Imperatore loquar, quæ res est de omnibus humanis, quæ aut dignitate sit superior, aut cui plurium rerum præsidijs atq; opibus in munere suo præstando opus sit? totius enim exercitus hoc est multorum millium hominum uaria inter se multipliciq́; opera Imperatori est utendum, plurimi equi, plurima clitellaria iumenta sunt adhibenda, tormentorum atq; instrumentorum infinitum prope genus comparandum, commeatus, quæ ratio multiplex, infinitaq́; penè est, expediendi; locorum, montium, fluminum, tempestatum occasiones captandæ; ars etiam dicendi in seditionibus comprimendis interdum, iuris uero & iniuriæ

ſcientia in iniurijs, quas milites aſſidue inter ſe inferunt, reli-quiſq; controuerſiis diſceptandis Imperatori ſemper eſt neceſſaria. Hæc atq; alia tam magna, tamq; innumerabilia, quæ in Imperatoris officio ita uerſantur, ut alicuius earum præſidio deſtitutus munus ſuum exqui non poſſit, ſi quis animo uerſauerit, an non ſecum ſtatuet, hanc de omnibus humanis rebus præclariſſimam facultatem externi auxilij eſſe egentiſſimam. Regio uero munere quod Numinis propè cuiusdam uenerationem apud populos obtinet, an quicquam eſt, quod pluribus præſidijs ſit inſtruendum? Quot enim hominum, quot miniſtrorũ, quot magiſtratuum, iudicum, conſiliariorum, militum, præfectorum, Ducum, claſſium, exercituum opera in populis regendis Regi eſt neceſſaria? Quid igitur? maioris prætij erit muliercula, quæ manuum tantum miniſterio in linteis abluendis munus ſuum perfecte & abſolute præſtat? His igitur exemplis, quibus nulla eſſe poſſunt illuſtriora, argumentum ipſummet, quo ueluti ualidiſſimo telo actionem petebas, in contemplationem uidetur infligendum, potiusq; ſtatuendum, eas artes & facultates apud homines in maiore pretio eſſe oportere, quarũ munus pluribus externis opibus explicetur, præſertim ſi ea facultas in eas ipſas externas res, quarum opera utitur, ipſa ſe utilitate ſua fundit, cuius generis eſt actio & prudentia, quæ non maiora ab externis opibus accipit adiumenta, quã illis ui & adminiſtratione ſua reddat utilitatẽ. Etenim ut uir prudẽs in cõcordia, inter Ciues cõciliãda ſeditionibus et diſcordijs eget, neq;.n. ciuiũ uolũtates conglutinare poteſt, niſi prius ipſæ inter ſe diſſẽſerint; ita ipſe cõtra magnũ hoc ciuibus ſuis cõcordiæ beneficiũ tribuit. eadem ratio eſt de iuſto ac forti. Vt in rem diligenter intuenti, hoc ipſum, actionẽ externa ope

indigere, non tam ad necessitatem & indigentiam quæ dignitati deroget sit reuocandum, quàm ad præstantem quandam uim, naturamq; actionis, quæ tueri se ipsa non possit, nisi alijs benefaciat, uirtute & utilitate sua in res humanas influat, atq; essentia ipsa actionis sit, non se ipsa circunscriptam esse, opusq; suum seipso definiri, qualis est contemplatio, sed foras prodire; atq; omnes humanas res beneficio peruagari, illisq; necessario benemerendo uti. quæ res tantum abest, ut actionis gloriam imminuat, ut Diuinam similitudinem attingat. Inuectus es proxime in eam actionis partē, in qua Sfondratus hāc cœlestium rerum contemplationem beatitudine & uoluptate & etiam utilitate conatur spoliare, cum diceres contra reputando omnia hæc in Philosophorum inuestigationibus inesse; & summa quidem. In qua re nihil sanè noui, ut mihi quidem uidetur, attulisti quod in Sfondrati oratione non ferè sit refutatum. Docuit enim Sfondratus ut perfecta Diuini Numinis cognitio beatos homines efficere potest, tumq; re ipsa est effectura, cū ad eam uinculis corporis liberati peruenerint; quanq; sunt uiri doctissimi, summæq; in scholis auctoritatis, qui æternam illam beatitudinem non in Dei cognitione sed amore ponant, sed tamen ut uera illa & perspicua notitia beatitudinē tribuit, ita adumbrata hæc & futilis Dei cognitio, quam per summam stultitiam otio abutentes homines quærunt, ne similitudine quidem, aut suspitione cœlestem illam & æternam beatitudinem attingit. Neq; si intelligentiæ uis nobis frustra nequaq; data est, ideo huius intelligentiæ finis contemplatio necessario est ponenda. Nam intelligentiam cognoscendiq; appetitum hominibus datum esse confiteor, sed ea de causa ut sibi, ac suis prouideant, ac prospiciant; uitamq; uirtute atq; officio

colendo tutam, tranquillam & beatam traducant. quod ingenij ope deserti nequaquam possunt præstare. In uoluptate autem quæ sequitur breuis ero, ut tu quoque fuisti, cum ex superioribus rebus pendeat, eiusque causa cum beatitudine coniuncta ac ferè eadem sit. in qua tantum illud dicā, me cum aliquid summo labore, ac studio quæro neque inuenio, animo potius angi, ac discruciari; quàm ulla uoluptate affici. quod huic inuestigationi usu uenire necesse est, quæ ad hanc Dei notitiam, ad quam tot uigilijs contendit, nunquam penetrat. Atque si summa uoluptas in uera & perspicua Dei cognitione est constituenda, quod nunquam inficiabor, ita illam ad hæc Philosophorum de Diuina natura somnia transferre, simile est ac si quis Luciani Calçearium beatum dicat, cum se maximarum opum Dominū effectum somniaret, cuius uoluptatem galli cantus, quo experrectus est interpellauit, atque extinxit. Quòd autem animi tranquillitatem ab hac cœlestium rerum contemplatione ad homines permanare dixisti, Præclaras enim ac cœlestes res illas, animos eorum hominum, qui in illis inuestigandis cogitatione uersantur, ita ad se se attrahere, ita suo amore inflammare atque a sordidis istis, caducisque & humilibus rebus penitus abducere, ut nulla prorsus earum iam cura attingantur. metum igitur, dolorem, ægritudinem, spem, lætiam, casum, fortunam constrictam habere, animosque ita conformatos nihil permoueri, si omnia ista, quæ cæteros homines solicitant, pedibus trahantur; proinde fieri ut perpetua animi trāquillitate fruātur. qua utilitate, quæ maior esse potest? speciosa uerba, sed in quotum quenque in tot millibus hominum, qui & nostra & omnibus ætatibus huic se studio dediderunt hanc terrenarum rerum despicientiam immissam, aut accipimus, aut ipsi cernimus? An quod duo, aut tres quos commemorasti fecerunt, id

ad omnes, qui in hoc studio ætatem agunt, quorum infinitus est numerus, uis transferre? quanquam pauculos illos, quos humana despexisse proferre potes, ita tristibus ac reconditis moribus fuerunt, ita ab usu hominum ciuilisq; uitæ consuetudine abhorrentibus, qualis fuit ille, qui dolio pro ædibus utebatur, testitudinisq; instar, domum quocunq; iret, circunferebat, ut nō mihi satis constet in laude ne an in uituperatione illud uitæ genus sit ponendum. Si igitur tantarum uirium est hoc studium, ut in homines hanc animi celsitudinem, humanarumq; rerum contemptionem, ac mentis tranquillitatem inducat, id in omnibus qui illud colunt efficiat necesse est, quod quoniam longe aliter esse uidemus, præclara hæc uis ab eo est omnino abiudicāda. Atq; ut meam uobis de hac re sententiam exponam, sic statuto, hanc animi tranquillitatem et magnitudinem humanas res despicientem a bonis tantum legibus & institutis induci. quod cum innumeris penè multorum populorum exemplis confirmare possim, uno tantum Spartanorum ero contentus, qui quod Philosophi tot uoluminibus nunquam hominibus persuadent, id ipsi pro disciplina habebāt. nam cum Lycurgi leges pecuniarum, bonorumq; fortunæ cupiditatem, quæ solicitudinum, reliquarumq; perturbationum hominibus in primis causa sunt, usum ferè sustulissent, hominesq; ad libertatem, animiq; celsitudinem quandam ac gloriæ cupiditatem conformassent, efficiebatur ut cum homines ab ineunte pueritia, usq; ad extremā ætatem eam disciplinam in qua educati essent, perducerent, eaq; tanquam altera natura essent imbuti, nulla bonorum fortunæ cupiditate tenerentur, nullosq; motus eorū acquisitio aut amissio ipsorum animis adhiberet, nullaq; tam sordidarum & humilium rerum, quarumq; usus apud eos uel nullus, uel per

exiguus eſset, homines ita inſtituti ſolicitudine angerentur. gloria duntaxat tam cœlſis erectisq; animis, ad quos uere nullus fortunæ aditus pateret, ſtimulos quosdam adhibebat, neq; eos tamen aut ipſis, aut Patriæ inutiles, quippe qui ea impulſi non dubitarent, ſe ſe pro Patriæ ſalute ac dignitate apertiſſimis periculis offerre, mortemq́; ignominia inferiorem ducere. Eiusmodi hominum non unum aut alterum, ſed multa millia, multisq́; ſeculis proferre poſſumus; Vt facile appareat huius animi celſitudinis, humanarumq́; rerum deſpicientiæ nequaquam cœleſtium rerum contemplationi ſed diſciplinæ a ſanctis legibus inductæ gratiam eſſe habendam. Sequitur quod de dignitate & utilitate reprehendiſti, quod ita perſpicuum eſſe dixiſti, ut ne oratione quidem eſset refellendum; Cum hæc ſigna ſpiritu ipſa ſuo, cum oratione nō poſſint, fateri nos cogant, qui ea finxerint, eos nobiliores profecto homines, maioreq́; honore dignos fuiſse, quàm huius fundi colonum & foſſorem. In qua re uide, quàm a te diſsentiam. Nam hanc orationem rerum dignitatem utilitate metiri oportere, ita ueram atq; exploratam eſſe ſtatuo, ut mihi ſummæ temeritatis uideatur firmiſſimum hoc propoſitum oratione uelle conuellere; neq; ad illud confirmandum nunc quicquam dicam, contentusq́; ijs ero quæ in oratione ſua Sfondratus diſſeruit, cum hunc locum tractaret. Ad ea tantum reſpōdebo, quæ tu pauca attuliſti. Neq; enim utilior eſt hominibus agricultura, quàm aut Ius ciuile, aut ars militaris, aut quàm ſint Reges. Nam ſine agricultura uiuere poſsumus, ut de multis populis omnibus ætatibus accepimus, at ſine legibus, ijsq́; qui earum ſunt adminiſtri uitam tueri nō poſſumus. quod idem in re militari ualet; ſine qua neq; tuti ad exteros, neq; omnino eſse liberi poſsumus. In cuiusq; tutela &

hæc ipsa agricultura & cætera omnia urbana & rustica sint collocata; militariq; ope et præsidio deserta omnia euerti necesse sit; ut recte & iuris tractatio & res militaris omnium rerum humanarum nobilissimæ uideãtur, quod hominibus lõge sint omnium rerum utilissimæ. Regibus uero quæ res utilior est hominibus & populis, qui omnium rerũ arbitri & moderatores, omnes Reipublicæ partes sustineãt, ac regant, quorumq; præscripto, ac nutu omnia gerantur, qui deniq; cum sancti, probiq; sunt, populis, quibus præsunt, beatæ uitæ auctores sint, ut numinis cuiusdam populis sibi publicæ commissis Rex instar sit, recteq; ab Homero pastores populorum Reges appellentur. Quid igitur mirandum est, si cum utilitas, quam a Regibus capimus ad Diuina beneficia proxime accedat, Diuinos ijs propè honores habeamus? deinde quis nescit munera publica nobiliora esse priuatis, quippe quod priuatis artificijs præsint, eaq; regant, Hæc autem sunt iuris tractatio, Res militaris, Magistratus, Imperia, Rex deniq; ipse, ut non recte inter publica hæc munera & agriculturam, cæteraq; quæ homines priuatim faciunt, comparatio suscipiantur. Artes uero pingendi ac fingendi, quibus sine oratione nos uis refelli, putas me uerecunde an audacter confirmare dubitaturum dignitate longe esse, agricultura inferiores? Neq; enim ut Ceres & alij nonnulli inter Deos sunt relati, quod agriculturam instituerint, ita pingẽdi inuentoribus Diuini honores habiti sunt; Neque Romæ Ciues clarissimi cum Imperijs, cæterisq; publicis magistratibus summa cum gloria defuncti essent, rem suam rusticã tractare, agriculturãq; exercere dedignabãtur; pudenter ue aut in occulto id faciebant; sed ex omnibus priuatis negotijs nullum dignius statuebant, in quo uiri amplissimi uersarentur.

At ad

At ad picturam quem aut eorum aut alterius populi clarũ ui-
rum descendisse legimus? Quin etiam uiri grauissimi de re ru
stica libros conscripserunt, quos non puto te dicturum, si eas
artes cognouissent, de arte fingendi aut pingendi scripturos
fuisse, cum ne eas quidem cognoscere liberale duxerint. Quòd
si maior ingenij uis exprimitur in pictura quàm in agricultu-
ra, non tamen ea res satis est ad maiorem dignitatem picturæ
asciscendam. quis enim negauerit in præclaro poemate inter-
dum maius ingenij specimen apparere, quàm in Reipublicæ ad
ministratione. At neminem credo fore qui bonum Poetam bo
no Regi dignitate anteponat. Dicet aliquis, quid tu igitur?
Huius fundi Villicum Apelli honore præponis? Non ita inge-
nio, ac sensu careo, qui hoc dicam, sed sunt nonnulla artificia,
quæ quanuis nobiliora ipsa alijs sint, ab hominibus tamen infi-
mi generis mercedulaq́; conductis exercentur, ut hæc ipsa agri
cultura, quam inuenisse ut summæ fuit gloriæ, ita exercere
nullius est ingenij, quod ubi fit, ibi dignitas illa quæ est in re,
arteq́; ipsa, cum artificibus non communicatur. ut etiam de ar
te nautica est dicendum, quam nobilissimam esse negare non
possumus, præclarissimumq́; hoc hominum inuentum fuisse,
quippe cuius usus tam multiplex sit, tamq; late pateat, totq́; cõ
moditatibus homines affecerit. Etenim artis nauticæ beneficio
qui in una prouincia nati sunt, omnibus ferè rebus fruuntur,
quæ in toto orbe terrarum, omnibusq́; in locis nascuntur; ut si
ne ea naturæ & terræ benignitas inutilis penè sit. At eius di
gnitas & nobilitas ad nautas, qui illam artem exercent, ne-
quaq̃; transfertur. nullo enim in honore illud hominum genus
haberi uidemus. Quare Pictorem quidem Agricolæ præfero;
Pingendi uero artem agriculturæ longe inferiorem facio. Po-

ſtremo quanam alia re nobilitatem & dignitatem metiri poſſumus, quàm utilitate? Nobiliſſimus eſt omnium Princeps, quòd idem toti Reipublicæ ſit utiliſſimus. Nobiliſſimus eſt Imperator & Iurisconſultus, quòd eorum utilitas cæteris antecellat. omniumq́; rerum eadem ratio erit. Nam nullo modo ſuſcipi poteſt, aliquas res per ſe ipſas nobiles eſſe, quod uos Philoſophi interdum confirmare non dubitatis. Etenim detracta utilitate, ne uirtus quidem ipſa qua nihil eſt præſtantius, nobilis res eſt. interq́; uirtutes idem eſt dignitatis, qui utilitatis gradus; atq; ut quæq́; eſt utiliſſima, ita eſt digniſſima. Nam qua alia de re iuſtitia reliquis uirtutibus dignitate præfertur, niſi quòd eius utilitas latius, quàm cæterarum uirtutum patet, in pluresq́; Reipublicæ partes ſe ſe fundit. Neq; obijcere poteſtis uiros uirtutis compotes etiam ſi nobis utiles non ſint, a nobis tamen amari ac ſuſpici. Huic enim argumento in oratione Sfondrati abũde reſponſum eſt; ideo amari, quòd ijs uirtutibus præditi ſint, quæ homines iuuant. quod ſi nõ nobis ipſis at ſaltẽ alijs hominibus natura nobis coniunctis atq; ideo charis utilitatem afferunt. Aut igitur retinendum eſt, rerum dignitatem utilitate metiri oportere, aut omnis humanarum rerum ordo perturbandus eſt atq; euertendus. Extrema fuit in Sfondrati oratione reprehẽſio tua, cum inueteratam hominum opinionem ſecutus docere nitebaris homines a beſtijs ſi non ſpecie, at maiore certe interuallo, ingenio, uiq́; intelligendi, quàm animi magnitudine, magnarumq́; rerum & Imperij cupiditate, aut uero re ulla alia præſtare. Quod multis in primis, uarijsq́; artificijs atq; admirabilibus ab hominum ingenio inuentis & excultis colligendis confirmaſti. Multa tibi ad hoc reſpondere poſſum, illudq́; primum nihilominus ut hoc quod dicimus falſum ſit, ra

tionem tamen Sfondrati uigere, non esse contemplationem cæteris rebus dignitate præferendam, quòd eius partis sit, quæ hominis propria sit, hominiq; ea ratione conueniat, qua homo sit. quam rationem suam alijs firmissimis argumentis confirmauit, sed tamen ut omnia quæ ipse in hanc sententiam dixit, quæ mihi quidem uidentur uera, falsa sint, ac tibi concedam maiorem uim ad nos a belluis segregandos ingenium, quàm animi præstantiam habere (De quo tamen mox uidero) non tamen quod intenditis efficitur, ut homines reliquas actiones quod animantes sint, explicent, contemplentur autem quòd homines sint. Nam si hoc tenere uultis, doceatis oportet specie omnino in eo quod rationis soli participes sint, a belluis homines differre; quam demonstrationem uobis planè eripiunt plurima exempla, quæ tu ad ea, quæ Sfondratus protulit ipse addidisti, quæ sine ingenio nunquam uinces effici posse. Deinde nulla eiusmodi a cæteris animantibus edi artificia; non tam significat eos ingenio defici, quam hac animi celsitudine & gloriæ cupiditate carere; qua hominibus quoq; ipsis detracta, ecquis existimat futurum fuisse, ut tanto animi studio, tantáq; contentione hæ artes ad eam hominum admirationem perducerentur? Etenim cum hominum natura ipsa per se ad otium & quietẽ procliuis sit, nihil profectò tantos labores, tamq; uehemens animi studium homines suscipere coegisset, omnesq; ingenij neruos in ijs ipsis artificijs, cæterisq; præclaris rebus contendere, nisi hæc gloriæ cupiditas, quæ præclara ingenia in primis torquere soleat, ac nisi tantopere homines de nomine suo apud cæteros homines cõmendãdo soleãt laborare, ut nullũ laborẽ, nullam solicitudinem fugiant, ciboq; & somno interdum se ipsi priuent; ut hæc ipsa artificia non minus huic animi celsitu-

dini, atq; præstantiæ, quàm ingenio accepta sint ferenda. Quis igitur miretur bestias, etiam si ingenio præditæ sint, cum tamen hac gloriæ cupiditate careant, laborem quoq; in edendis dis artificijs aspernari Naturæq; propensionem & otium sequi; neq; molesto negotio se uelle implicare? Præterea cũ bestias uideamus ad ea quæ sibi necessaria sint, satis esse ingeniosas, quod quamplurimis exemplis planum fecit Plutarchus, idq; ea ratione, quòd in his mentem & cognitionem intendũt, atq; defigunt, quis dubitet quin aliqui alia quoq; artificia edituræ fuerint si ullum gloriæ studium earum mentes, ut hominũ excitaret? Nunc eo motu carentes, nihil est quòd eum laborem sibi asciscant. Iã uero in hominibus ipsis quantam Dij immortales ingenij differentiam uidemus, ut alius ad Deos proxime accedere uideatur, alius non multum a pecudibus differre, quorum alius sit præstantissimus artifex; alius ne minimi quidem ingenij, nulliusq; cõtentionis artificium possit perdiscere; alius admirabilis Poeta, orator, ac Iurisconsultus sit; alius cœlestium conuersionum rationem cogitatione, cœlestiq; propè ingenij ui inuenerit; alius ad nullam eruditionẽ sit idoneas; alius ea prudentia sit, itaq; in rebus publicis tractandis habilis, ut huic omnes publica munera mandanda esse censeant; alius stolidissimus planè sit & ignauus. Cum igitur tanta interualla inter hominum ingenia uideamus, ut plus penè præstantissimo ingenio uir ab ignauissimo distet, quàm is ipse ignauus a nonnullis bestijs, homines ne ipsos inter se specie ac gradibus distinguemus? Equidem gradibus arbitror. quod igitur in cõparatione hominum inter se suscipimus, cur non id in belluarum comparatione cum hominibus admittamus? Quid quòd omnes homines & præstanti & imbecillo ingenio eadem glo

riæ & honoris cupiditate flagrant; alterq; ab altero tantummodo in eo differt, quòd ille ingenij præsidio, quo nititur, ad honores præclaro aliquo opere edendo contendit, huic ingenij opibus destituto nullum ad gloriam iter sit expeditum? Deniq; paucos homines uidemus, qui uel ad artes uel ad res gerẽdas, uel ad doctrinæ studia ingenium excolant, quiq; eiusmodi rerũ cura ulla attingantur, in quibus aliquod præclari ingenij opus uersetur; siquidem & ueterum ætate permulti & nostra ẽt nonnulli populi sine ullis artificijs & sine ullo literarum studio ætatem agunt; in quibus Indi ij qui nostra ætate a uiro clarissimo Christophoro Columbo Genuensi reperti sunt, cum ad hæc tempora ignoti fuissent prætereundi non uidentur. quibus cum omnia nostrorum hominum qui illuc primi commearunt summæ admirationi essent, tum uero usus literarũ, quibus animi obscuras notiones ab ijs, qui longo interuallo abessẽt cognosci animaduerterẽt, tãtæ admirationi fuit, ut epistolas tã quam res aliquo numine præditas contrectare perhorrescerent, nephasq; ducerent. Atqui ij homines, quorum uita infinitis ætatibus omnibus artificijs caruit, ingenio ut nos præditi sunt. De imperio tamẽ ut nos bello decertant, laboresq; subeũt, animamq; in acie effundunt. Cum igitur de ingenio excolẽdo tam multi homines sint, qui uel parum uel nihil omnino laborẽt; Imperij uero & præcellendi cupiditas omnium hominũ mentes peruaserit, penitusq; insederit; Vtram tandem rem hominis magis propriam faciemus; eam ne, quam a multis negligi uidemus, an eam cuius ardentissimo studio nemo est quin efferatur? Neq; leo ille tuus si est animal summa iracundia, iniuriarumq; maxime impatiens, ac si omnia animantia uincula fugiunt, ex ijs rebus hanc animi celsitudinem, quæ nos glo-

riæ & imperij cupidos facit in feris colligere possumus. Nã hæc omnia libertatis causa faciunt, quæ ab hac præcellendi & honorum cupiditate longissime distat, specieq; diuersa est. Iam uero, quòd laudis & uituperationis discrimen in hominibus eum tollere proposuisti, qui animi celsitudinem hominis formam faciat, quòd in ea pares omnes homines sint, neq; alter ab altero excellendi cupiditate superetur; resq; æquum sit in laudando & uituperando propria uirtute & non extrinsecus petita ponderari, est eiusmodi, ut quanquam primo aspectu speciem quandam satis insignem habere uidetur, tamen in rem acrius, diligentiusq; intuenti aut nullum robur habeat, nihilq; causam tuam confirmet, aut si illud uis ualere, cõtra te faciat. quod tum patebit, cum totum hunc locum explicaro. Nam ea res, quæ alicuius speciei propria forma sit, quæq; illam speciẽ a cæteris rebus distinguat, par est, ut in singulis rebus, quæ illius speciei sint, æque insit, neq; in hac magis sit, quàm in illa, cum rei essentia a propria forma pendeat, resq; ea sit, quæ a forma sua efficitur. quod in omnibus rerum & animalium speciebus naturã fecisse animaduertere licet. neq; enim equus ullus magis est equus alio equo neq; alter altero formæ equestris magis est particeps, quam rem absurdissimum profectò sit inficiari. Eadem naturæ ratio in homine fingendo fuit. Neq; enim dicendum est ullo modo alterum altero magis hominem esse, plusq; uni quàm alteri humanitatis impartitum, sed omnes homines ea re, qua homines sunt pares formatos. quod negare ualde alienum sit a ratione. Atqui si intelligentia & ingenium forma nostra sit, cum huius rei maxima sit inter homines differẽtia, alterq; ab altero ea in re infinito distet interuallo, efficietur: ut qui intelligendi acriore ui polleat, is quoq; plus habeat humanitatis, magisq; homo sit, quàm

alter homo. quod et a uera ratione abhorret, & a naturæ perpetua in omnibus rebus & speciebus consuetudine est alienũ. Deinde nego res ex propria uirtute laudari, ut tibi sine ulla ferè confirmatione sumebas. neq; enim equum aliquem nobilẽ in magno pretio habemus, multóq; pluris, quàm alium equũ emimus, quòd ea re quæ equi forma propria sit, alium equum, quem ne uili quidem emamus, superet. sed quòd decora specie sit, aptáq; membrorum et totius corporis conformatione, quòd agilis, pernix, docilis, audax. atqui neq; pulchritudo, neq; pernicitas, aut audacia, aut alia ulla eiusmodi res equi propria est forma, ut omnes intelligimus. Et tamen qui equus eiusmodi rebus, ijsq; præstantissimis præditus sit, eum ita charum habemus, ut adduci nullo modo possimus, ut cum mille alijs equis, qui tamen rei illius, quæ est propria æqui forma æque participes sint, permutemus. Ita quanti homines faciendi sint, quãtóq; in pretio & honore habendi, & utrum in laude, an in uituperatione sint ponendi, quoniam ab animi celsitudine, magnarumq; rerum et excellendi cupiditate, in qua omnes tanquam propria forma pares sunt, existimationem elicere non possumus, hoc iudicium ab ea re pendeat necesse est, quæ secundas partes in homine obtinet, hoc est ab ingenij ui & intelligentia. Atq; hæc tibi Sighicelle respondi, quasi iam uiceris homines ingenio, uiq; intelligendi laudari, ac uituperari, quod ut uerum sit, apparet quod initio pollicitus sum, argumentum istud tuum nihil ualere. quid si doceo laudes hominum ac uituperationes ab animi celsitudine longe magis quàm ab ingenio pendere; an non tuo te ipsum laqueo induam, quem nobis paraueras, homines ea re laudari, quæ propria ipsorum sit? Itaq; quod superius negaui, atq; refutaui nunc uolo ualere, tuæq; ra

tioni, quam refelli; assentior eam rem, qua aliqua res laudatur, aut uituperatur, propriam esse illius rei formam, cũ æquũ sit horum uituperationes aut laudationes minime ex externa uirtute sed ex propria pendere. Igitur si apparebit hominum laudem ac uituperium in animi magnitudine proinde atq; illa homines affecti sunt, positam esse, tum planè ex tuis uerbis exprimam hanc confessionem, proprium igitur hominis esse animi hanc præstantiam & magnitudinem, quippe cum ex ea laudetur, aut uituperetur, argumentumq́; tuum contra te ualebit. Nam quasnam uirtutes per Deos immortales magis suspicimus, maioreq́; in honore habemus morũ ne an ingenij? hoc est pluris ne facimus doctos, ingeniosos, Poetas, Philosophos, oratores, pictores, in quibus artificijs & facultatibus maxima, acerrimaq́; ingenij uis exprimitur; an iustos fortes, continentes, benignos, liberales, splendidos, clementes? neminem puto tam proiecta impudentia, qui non horum laudem illis superiorem faciat. quod etiam nos cogit fateri ex contraria parte uituperatio collata. Nam indoctos, tardoq́; ingenio uiros, Poetices, artis dicendi & pingendi imperitos, tum præterea in rebus publicis administrandis minus habiles, artisq́; bellicæ prorsus expertes; in quibus deniq; nullum ingenij specimen eluceat, non laudamus quidem, se tamẽ ferimus; neq; uituperamus, aut ullo supplicio dignos putamus, quin etiã si probi homines sunt, neq; ulla in re fidem & pietatem uiolant, etiam si tardissimo sint ingenio, laudibus afficimus; At iniustos ac nefarios homines, auaros, rapaces, superbos, cõtumaces, crudeles, flagitijs inquinatos, timidos, sordidos, animi exilis; etiam si præclarissimo sint ingenio, omniumq́; literarũ & doctrinæ ornamentis redũdent, non contemnimus modo & uituperamus, sed complu-

res ex

res ex ijs supplicijs afficimus; Atqui in iustitiæ, fidei, humanitatis, munificentiæ laude hominibus concilianda, ut ingenij uim, societatemq; non excludo, ita statuo, quod perspicuum est, præcipuas partes animi celsitudinem obtinere; Etenim (ut dixi) licet homines uidere præstantissimo ingenio præditos, iniurios tamen ac nefarios, fidemq;, ac ius uiolantes, flagitijs & sceleribus cõtaminatos, crudeles, superbos, alieni appetentes & raptores. Ab hac.n. animi magnitudine & præstantia deserti nihil est, quod eos a lapsu sustineat, quominus in uitia præcipites ruant. Qui uero magno animo sunt & erecto, quiq; ob magnitudinẽ suam res omnes humanas infra se positas putant, easq; præ se contemnunt, ij neq; pecuniarum aut ullius rei, quæ cæteros homines capiunt, spe & cupiditate, neq; ullo metu a iure, fide, pietate colenda deducuntur, nullaq; eiusmodi animũ auaritiæ uis potest insidere, quæ ueluti malorũ omnium fons ipsum abstrahat ab officio. Tales homines discrimina pro iustitia subeũt, nulla.n. eos timiditas a præclaris facinoribus retardat. Inuictos uero quanuis plurimas iniurias acceperint, clemẽtes existunt. Animi.n. magnitudo hunc etiã uindictæ appetitum, qui in tenuibus et exilibus animis est uehementissimus, pedibus subijcit et constrictum tenet. Cum igitur ijs uirtutibus præditos uiros quãuis mediocri sint ingenio tanquã numina quædam suspiciamus, qui uero ijs carent, contrarijsq; uitijs & sceleribus sunt cooperti, eos quanuis ingeniosissimos odio habeamus, uituperationeq; & pœna dignos putemus; in ijsq; uitiorum aut uirtutum notis hominibus inurendis, maiora haud dubie momenta hæc ipsa animi celsitudo ut ea integra aut deprauata ẽ quã ingenium obtineat, efficitur, ut uera hominum laudatio ac uituperatio a magnitudine potius animi atq; præstantia, quam ab

ingenij quãuis acerrima ui pendeat.ut argumentum illud tuũ quod a communi hominum laudatione firmissimum putabas, aut iaceat,totumq́; eneruatum sit,aut si illud uis ualere, contra te planè faciat. Nam quod uiri clarissimi, compluriumq́; aliorum exemplum nobis opposuisti, quorum excellens uirtus in honorum titulis contemnendis semper fuit laudata,nihil id mihi ad rem sanè pertinere uidetur. Animi enim magnitudo, ac celsitudo non tam in honorum cupiditate quam despicentia sæpe deprehenditur, uiriq; præclari partim æternæ, immortalisq́; gloriæ, quam se in cœlo tum cum Deo coniuncti fuerint, assecuturos sperant,studio flagrantes, caducos hos honores humanos, ac fluxam gloriam spernunt,qua mente Polum præditum esse existimo, partim non minorem huius animi celsitudinis specimen in ijs honorum insignibus negligẽdis,quàm appetendis inesse existimant. Deinde non si interdum nimia hæc honorum cupiditas,quæ uocatur ambitio ratione est cohibenda, ne illa nimium homines elati Reipublicæ statum perturbent atq; euertant,quod multos sæpe fecisse accepimus,ideo efficitur uituperandam esse honorum & præcellendi cupiditatem aut quicquam in homine animi celsitudine esse præstantius. Nulli.n.naturales appetitus sunt uituperandi,qui tamen nisi rationis freno regantur, hominibus, qui se se illis constringẽdos tradunt,pernitiem ac sæpe interitum afferunt. Ita hæc honorum cupiditas,nisi ratio aliquem modum faciat,multorum malorum causa est,quo fit ut eorum qui hũc motum ratione cohibent uirtus & prudentia laudetur,nõ quo ipse in uituperatione natura sua sit ponendus, sed quòd eius immoderatus usus Ciuitates sæpe euertat. ut de igne dicere licet, qui quanuis nihil illo hominibus a natura ferè sit uti-

lius datum, Ciuitates tamen interdum comburit. neq; ideo omnium rerum, quæ in homine insunt dignissima est ratio, quòd huic ipsi animi celsitudini imperet, ac moderetur. nam in hac re non minores atq; adeo longe maiores partes obtinet uoluntas q̃; ratio. siquidem plurimos homines uidemus præstantissimo ingenio præditos hac cupiditate amentes ferri, quippe quibus illam cohibendi uoluntas desit. Voluntati igitur maiores huius rei quàm rationi gratiæ sunt habendæ; quam tamen uoluntatem in altiore in homine dignitatis gradu quàm rationem nequaquam collocatis. Hæc ferè sunt, quæ mihi de hac hominũ, a belluis differentia uenerunt in mentem, quæ quemadmodum accipiantur, non magnopere laboro, nam et si ea uerissima puto, tamen (ut dixi) non ita ijs innititur causa nostra, ut quãuis falsa sint, non optime hæreat. Nam quod in extrema oratione tua reprehensionem dissensionis Philosophorum es extenuare conatus, cum diceres usq; ad Aristotelis tempora Philosophiam errantibus & uagis opinionibus iactatam quidẽ fuisse, omnesq; naturæ res ad eum diẽ tenebris obrutas, neq; quid certi aut explorati aut perspicui homines sequerentur habuisse; Aristotele uero tanquã sole quodam exorto, res ex tenebris euolutas Philosophiamq; tandem in stabili gradu a diuino homine collocatam; omnesq; proinde Philosophorum turbas & rixas conticuisse. Obsecro te Sighicelle an tu quoq; homo omnium literarum elegantia perpolitus in eadem historiarũ ignoratione uersaris, in qua plurimi nostra ætate incõdito nullisq; humanis literis exculto ingenio homines? Qui quod recentioribus temporibus ab Arabis acceptum nostri latini fecerunt, ut unũ Aristotelẽ sequerẽtur, id ad prisca etiã secula reuoces; quo nihil minus uere aut magis imperite dici potest. An non

legimus & Aristotelis temporibus & post Aristotelem innumeros Philosophos, eosq; magni nominis extitisse, qui ad Aristotelis doctrinam suam sententiam nequaquam accommodarent, sed nihilo secus ac superiores & ab Aristotele & inter se ipsi dissentirent; Quin etiam post Aristotelem quatuor nobilissimas scholas & in Græcia, & quocunq; Philosophorum studium peruenit, multa secula uiguisse de nulla ferè re inter se consentientes, Stoicam, Peripateticam, Epicuream, Academicam? Atq; hæ omnes innumerabilium sectatorum studijs & frequentia celeberrimæ fuerunt. Neq; apud Romanos magis accepta est Peripateticorum doctrina, quam nostra fere ætas solam colit, quàm cæteræ, neq; magis illius, quàm reliquarum magistros, & Doctores habebant, neq; apud priscos et claros rerum scriptores Aristotelis gloriam eximiam legimus, sed in Philosophis recensendis inter claros is quidem Philosophos numeratur, in ordinem tamen, ut cæteri, cogitur. Vt ad firmissimum Sfondrati argumentum quod a Philosophorum dissensione in illorum studium intulit, uitandum, nulla tibi huius Aristotelis gloriæ aura possit afflari. Quæ cum Antonius dixisset ego quoq; essem illi magnopere assensus, Moronus De rebus, inquit, naturalibus hactenus. Tempus iam admonet ut quid de rebus ciuilibus Sfondratus dixerit uideamus. Sed cõmodius id faciemus si ad fontem opacissimum ad leniendum meridianũ hunc æstum accesserimus, cuius sermonem cum omnes approbassemus, surreximus, atq; ad fontem iter cæpimus.

DE PHILOSOHPIAE ET IVRIS CIVILIS INTER SE COM PARATIONE.

AD CHRISTOPHORVM MADRVTIVM CARDINALEM AMPLISSIMVM

VBERTI FOLIETAE LIB. TERTIVS.

CVM Multæ res Christophore Madruti ad animos hominum, ingeniaq; deprauanda satis ualent, tum nulla maior est, quàm diuturnus usus, inueterataq; consuetudo, quæ sæpe est eiusmodi, ut non modo quod uulgo dici solet, in naturam uertatur sed naturam ipsam ui sua interdum peruertat & a cursu deflectat. Nam cum ingenium, uisq; intelligendi nostri arbitrij res non sit, neq; in uoluntate aut potestate nostra positum sit, a rationibus & argumentis, quæ simul atq; illatæ sint, intelligentiæ adhæserint, assensum cohibere; aut quæ intelligentiæ uis respuat, ac repudiet, ijs assentiri, quippe quòd intelligendi potestas in rebus comprehendendis uoluntatem nostrã constrictam habeat, secumq; inuitam trahat, tanta tamen interdum consuetudinis est uis, ut rationi, cui ingenium reluctari non possit, ipsa tamen obsistat, humanæq; intelligentiæ uim, quæ uoluntati nostræ naturæq; imperat sibi ipsa subiungat, quod cum in aliquibus rebus animaduertere licet,

tum in his libris nostris, quos de Philosophiæ & Iuris Ciuilis inter se comparatione scripsimus, usu uenturum uidemus. Nã ex pluribus accepimus ita quorundam animos ab hac nostra ratione abhorrere; ita hoc Philosophiæ nominis splendore obsessos teneri; ut cum audierint nos contra philosophiæ studiũ quædam scribere, partim libros nostros de ijs rebus cum illi in lucem edentur, omnino se dixerint non esse lecturos; partim cum rationes, & argumenta nostra de hominibus nobis amicissimis, qui ea ex nobis cognouerunt, audiunt; quorum multa uel inuitissimos nobis assentiri illos cogere possint, ea tamẽ esse pertinacia, ita consuetudinis a primis usq; temporibus philosophiam suspiciendi ad hanc ætatem perductæ ui tanquàm rapidissimo quodam æstu in alteram partem abripi, ut rationibus nostris quibus ipsi respondere non possint, assentiri tamẽ nolint. Alios autem esse qui libros hos nostros, in quibus ius ciuile Philosophiæ studio cũ aliqua Philosophorũ uituperatione præferamus, legere cupiãt, ut rationibus nostris, quamprimum possint respondere, Philosophiæq; defensionem & laudationem eadem oratione complecti. Ac duobus quidem prioribus hominum generibus nihil est sanè quod respondeamus, qui mihi eorum simillimi uidentur, qui nimia ui morbi furentes partim Medicum a se omnino repellant, partim & si accedere patiuntur, eius tamen neq; consilium neq; curationem admittant. Ita isti amentia sua, ut quò uelint ferantur, sinendi sunt. Nam quo alio quàm amentium nomine eos appellem, quorum alteri rationi omnino nolint aures præbere; apud alteros grauiora sint consuetudinis & inanis cuiusdam nominis, quã rationis momenta? Ab extremis uero, qui se ad respondendũ parant, petimus, quod ab eorum humanitate æquissimum sit

nos impetrare, ut rationes nostras non eo animo cognoscant, ut præ studio nos superandi necesse habeant in omnes inuadere, sed quod egregiorum hominum est, candidorumq; in primis animorum, ita se comparent, ut suum iudicium primum adhibeant, quæq; a nobis summa cum ratione dicta esse uiderint, ijs assentiantur; quod Nos in hoc tertio libro in politicis et Dialecticis libris fecimus. neq; enim illos, ut cæteras res oppugnauimus; à quibus uero, cum rationem diligenter perpenderint, omnino abhorrebunt, ea libere refellant. Etenim Nos si nobis cum ueris rationibus non autem decantitatis aut pertinacibus homines doctos & ingenuos agere intelligemus; parati sumus ijs alijs etiam libris respondere, atq; ita respondere, ut doceri nos patiamur, quæq; uere ab ijs dici cognouerimus, ijs sine ulla retractatione assentiamur. A te uero Christophore peto ut institutum scriptorum nostrorum patrocinium defensione & auctoritate tua ne destituas. In Quo non minus iuris ciuilis causa, quàm laus mea agitur. Nam cũ rationes nostræ firmißimæ quidem sint, ut arbitror, mea autẽ uel nulla omnino, uel minima certe sit auctoritas, fieri potest ut alicuius maiore auctoritate labefactentur, ut maxima pars hominum sæpe magis auctoritatum quàm rationum momentis permouetur. Cui si tuam auctoritatem opponere potero, futurum spero, ut ea communita rationum nostrarum firmitas omnibus oppugnatoribus facile resistat. In qua etiam re non paruum cumulum summis ac singularibus tuis erga me meritis addes; quæ sunt eiusmodi, ut quoniam tu singularem erga me uoluntatem multis locis significasti, meq; amantißime amplexus es, huic tuæ humanitati si minus ego parem gratiam referre poßim; illamq; scriptis meis satis pro di-

gnitate illustrare; at perpetua certe memoria, sempiternaq; obseruantia & pietate mihi colendam statuam. Sed quoniam hæc alio loco dicentur; ad ea, quæ reliqua sunt pergamus, uideamusq; an in altera parte, quæ ad mores hominum regendos, uitamq; cum uirtute instituendam pertinet, Philosophi præclarius sint uersati; & utrum illis maior in hac re laus, an iurisconsultis debeatur. Nam cum ad fontem peruenissemus, in conspectuq; omnes consedissemus, Moronus puerum iussit interruptam orationis lectionem persequi; Ille uero sic est subsecutus. Sed satis iam multa uerba adoloscentes de ea Philosophiæ parte, quæ in contemplatione uersatur mihi fecisse uideor; tempusq; admonere uidetur, ut ad reliquam partē quæ ad res ciuiles, hominumq; mores, atq; ad ipsam actionem pertinet, accedamus; uideamusq; utrum studium sit ad eas res accommodatius, Philosophorum ne, an iurisconsultorum; utrī homines in rerum ciuiliū doctrina tradenda præclarius sint uersati; Vtrorum in rebus humanis administrandis magis emineat industria; in utris ad res gerendas, maior sit pars operæ atq; opportunitatis. quæ res longe breuiorem facilioremq; disputationem habebit, quā superior. Magni enim credo erit negotij, quos de superiore loco, de munitissima cœlestium rerum arce pugnantes uicerimus; eos cum in æquum locum, hoc est ad res humanas descenderint, in nostrisq; ferè castris, præsidijs q; uersentur, superare; Cum præsertim superius prælium prospere factum nobis animos addere, illis adimere debeat. Sed antequam manum conseramus, unum omnino præmuniendum est orationi nostræ, totum hoc, quod de moribus rebusq; ciuilibus traditur non esse rem cognitionis, sed actionis;

nec quicquā

nec quicquam in hac Philosophiæ parte ad doctrinam quæri; sed omnia ad agendũ referri, dissimileq́; a reliquis omnibus doctrinæ studijs hoc studiũ esse. In cæteris.n. res tantũ, quæ ab ea doctrina traduntur, cognoscere cõtendimus, solaq́; sciẽtia cõtenti sumus; in hoc scientia minimum habet loci, quam totam ad actionem referimus, actione detracta superuacanea est omnino scientia. Maneat igitur in causa adolescentes, huius studij non scientiam finem esse, sed actionem; ad disputationemq́; accedamus; eandemq́; congrediendi rationem teneamus, qua in superiore dimicatione usi sumus, ut eos ipsorummet uestigijs persequamur. Prima igitur illorum disputatio est de summo bono, deq́; extremo omnium rerum, quæ in hominum actionem cadunt termino, qui omnium rerum humanarũ finis sit, ad quem omnia referantur. Neq; enim putant quicquam a quoquam recte geri posse ea re ignorata, quam omnis humana actio spectat. In quo explicando non potuerunt sui esse dissimiles; nam neq; minore sunt in uarietate, minus ue sententijs inter se discrepant, quàm in cæteris omnibus rebus; neq; minus est apud eos controuersus hic locus. Nos autem cæterorum opinionibus omissis Peripateticorum sententiam & ad ueritatem propensiorem & ad usum uitæ aptiorem sumamus. Definiunt ergo ita summum bonum, ut illud in uirtutis usu ponant; in omnibusq́; rebus administrandis, qui recta ratione, perfectaq́; uirtute utitur, hunc beatum appellant, hoc deniq; omnes spectare uolunt, ut cum uirtute uiuant. Hic quæro a Peripateticis quid ingenio sint assecuti? quam utilitatem hominibus attulerint? Quis enim homo omnino est, quæ gens, quæ natio ab humanitate ita aliena, cui non sit a Natura insculptum, cum uirtute esse uiuendum?

Quis autem aliter possit existimare cum hoc uideat humanæ societati utilissimum, atq; adeo necessarium esse? Virtutibus enim sublatis confestim omnium rerum perturbatio consequeætur, hancq; hominum societatem dissolui planè necesse erit. Quid uero omnium gentium leges spectant, quàm in omnibus rebus, quæ homines gerant, officium, atq; uirtutem? Videtis igitur adolescentes, quàm uno uerbo res tot uoluminibus iactata, tot disputationibus quæsita, tot dimicationibus agitata, in qua Philosophorum in primis exultat ingenium, tota iaceat. Quid enim necesse est a Doctore quærere, quod a natura haurias? disputatione inuestigare, quod utilitas aperte admoneat? quærere eam rem dubitando, cuius omnem dubitationem necessitas tollat? ratiocinatione discere, quod leges omnes præscribant? Et obijcient Iurisconsultis nulla certa ratione illorum studium procedere; mancumq; & claudicans planè esse, quod cũ multis alijs, tum hac tam necessaria (ut ipsi aiunt) parte careat? Illi ne in re tam superuacanea ingenio & otio abuterentur? Non ea erat a publicis curis uacatio, non id a forensibus rebus otium. Quare nihil est, quòd huius de summo bono disputationis nomine quicquam suæ gloriæ assumptum putent. Etenim de ea re disputare, quam natura in mentibus hominum infixit, utilitas homines docuit, necessitas amplecti coegit, leges sequi imperant; quid aliud est, quàm bello aduersus hostes Senatus auctoritate, populi iussu, summo omnium ordinum consensu et approbatione decreto, cum in Senatu de ratione eius belli administrandi agatur, solicitiq; sint Patres de classe comparanda, de commeatu suppeditando, de pecuniaria ratione expedienda, deq; cæteris rebus, quæ usus belli postulat; omnesq; eæ res difficilem habeant deliberationem; si quis orator existat, qui

ſalutarem ſententiam, atq; ex Reipublicæ maxime tempore ſe dicturum profiteatur, magnumq; ideo tota curia ſilentium fiat; isq; omnium oculis in ſe conuerſis, omnium animis expectatione ſuſpenſis, diſputet optimum eſſe & e Reipublicæ dignitate bellum hoſtibus inferre, quòd ſocios noſtros uiolarint, multaq; alia facinora ediderint, quæ nequaquam impunita aut inulta debeant auferre? Nonne ineptum hunc in eam orationem ingreſſum interpellent, clamentq; omnes e curia eijciendum, qui rem iam decretam agendo, deliberationem, quæ ſit illius tẽporis nugis ſuis impediat? Ita hæc Philoſophorum de ſummo bono diſputatio tanquã ſuperuacanea, planeq; inutilis tota eſt reijcienda; Quæ ſi Peripateticis, alijsq; idem ferè ſentientibus aſſẽtiare, nihil (ut dixi) habet utilitatis, ſi ad alios Philoſophos diuerſa ſentientes te conuertas, plurima poteſt afferre hominibus detrimenta, opinionemq; in hominum mentes a natura inſinuatam, ab utilitate inductam, a neceſſitate confirmatam a legibus præſcriptam labefactare, ab eaq; homines abducere; quo nihil omnino deteſtabilius eſſe poteſt. Quare aliquid aliud afferte, ſi ſtudium ueſtrum in aliqua commendatione ponere optatis, ac potius nos docete, quemadmodum uirtutem aſſequamur; quemadmodum omnibus rebus cum recta ratione, prudenterq; moderemur; quæ ſit deniq; ad iſtud ſummum bonum perueniendi ratio, ac uia. Hoccine poteſtis? Hæccine inquam tanta res facultatis eſt ueſtræ? Quid ni (inquiunt) ſit? et qui quidem ſolius noſtræ. Cuius enim alterius ſtudij eſt iſta profeſſio? aut qui homines de omni uirtutum genere, de moribus de officio, deq; alijs rebus, quæ ad uitam beate ducendam pertinent, aut plura, aut præclariora ſcripſerunt? Virtutem ne igitur uos, atq; prudentiam docere homines poteſtis? Et quidem

perfecte. O uitæ dux Philosophia, o pulcherrimum, ac præstã tissimum mortalibus datum diuinitus donum, o uere de cœlo ad homines instituendos demissi Philosophi, o uere Deorum numen, ac potestatem obtinentes. Vt æquum est uobis uel uiuentibus aras dicare, qui eius rei hominibus auctores sitis, qua nullam a Dijs immortalibus maiorem accipere possimus. Vt me meimet pudet; Quàm nefarium scelus mihi uideor admisisse, qui tam asperis uerbis in uos supra sim inuectus, qui tanta orationis libertate studium uestrum perstrinxerim. Date ueniã inscitiæ; ignoscite ætati; Deorum certe est peccata agnoscentibus, hominumq; erratis ueniam dare. Ne igitur supplicẽ spernite, sed potius pro uestra humanitate rationem istam uestram uirtutis, prudentiæq; assequendæ mihi atq; adeo omnibus nobis tandem exponite, nosq; uirtutis atq; prudentiæ compotes efficite. quod si a uobis impetrauerimus, omnis erit ætas nobis in hoc tanto, tamq; præclaro beneficio uestro prædicando. Virtus (inquiunt) est habitus ab electione profectus in medio inter duo extrema loco positus. is autem habitus, qui est constãs animi & absoluta in rebus perfectio, fit in nobis frequenti usu eius rei, cuius habitum assequi cupimus. Quorum uerborum, quanuis difficilis uideatur explicatio, pugnãtiaq; in hac re uideantur loqui, Propterea quod aut est in me uirtus, atq; iste ipse habitus, aut non est, si est; nihil est, quòd usu assequi contendam quod in me scilicet iam est; si non est, quomodo utar ea re, qua careo? Tuentur tamen facile hunc locum, seq; ita expediunt. Quanuis ea re, cuius habitum quæris, uti possis, eaq; in te sit, non tamen eiusdem habitum obtines, quem frequenter utendo ea re assequeris; atq; ita assequeris, ut difficile deinde sit te non uti. Itaq; fieri potest, ut duobus idem

efficientibus, eorum alter sit uirtutis compos, alter non item. quippe quòd alter frequentissimo usu eiusdem rei perfectum habitum sit assecutus, ut nullo iam negotio, nullaq́; animi contentione ea uirtute utatur; Quin contra ab ea re facienda difficillimum sit hominem abducere; alter contra in faciendo plurimum laboris, studij, sudoris suscipiat, magnam animi contẽtionem adhibeat, ac uix faciat tamen. quod si sæpius fecerit, habitum tandem pepererit, eaq́; res uirtus uocabitur. satis hoc scite. Pergite uero; ac quemadmodum utamur et ad uirtutem perueniamus docete. Nanq; adhuc quidem hominibus ambulandum esse dixistis; si aliquò peruenire uelint; Quæro nunc ex uobis quanam uia ambulandum sit? media (inquiunt) An non supra docuimus uirtutem in mediocritate positam esse? Non nego. sed quæ sit ista media uia quæro; in eaq́; re inuenienda totam hanc de uirtute assequenda quæstionem uersari statuo. Cum igitur infinitæ uiæ sint propositæ, quarum una tantum ad uirtutem ducat, cæteræ omnes faciant ut erremus, docete, quemadmodum rectam uiam a tot deuijs internoscam. Neq; enim si aliquò peruenire contendam, cum in plures uias incidero, si aliquis mihi dicat ea uia eundum esse, quæ media sit, quæq́; ad præfinitum locum recta ducat, is me iter docuisse est existimandus; sed is qui uiam ipsam definite, digitoq́; ostenderit. Ita si nihil præterea affertis, nullam uobis ob demonstratum iter gratiam habere possumus. Media enim, rectaq́; uia eundum, mediocritatemq́; in omnibus rebus tenendã disco quidem, sed mediam hanc uiam & mediocritatem docere me debetis, si cupitis, ut me aliquid a uobis didicisse confitear. Nam quomodo adhuc quidẽ progressa uobis ratio est, nullam nobis rationem tradidistis huius mediæ, rectæq́; uiæ

cognoscendæ, atq; ingrediendæ. Quare si eam tenentis, ne diutius suspensos nos habete, sed omisses ambagibus eam nobis tandem exponite. Prudentia (inquiunt) rectáq; ratio tibi Dux erit; ea tibi uiam ostendet. Atqui paulo ante gloriati estis, uos uirtutem homines docere; Nunc uero ad prudentiam me reijcitis. Quid igitur opus est disputationibus uestris, aut omnino uobis? An prudentiam quoq; docere nos potestis? non nos quidem (inquiunt) neq; uero quisquam alius. Nam cum prudentia recta ratio sit earum quæ in actionem cadunt, gerendarũ; in actionem porrò cadant singulæ res hominibus, momentisq; temporum definitæ; eæ autem sint infinitæ, infinita uero sciẽtia comprehendi non possint, quippe quæ res uniuersas, nulláq; hominum aut temporum circunscriptione definitas complectatur, fit ut prudentia doctrina non possit acquiri, O' proiectam impudentiam, ò singularem leuitatem, ò non homines, sed hominum somnia Philosophos. Nam quo alio nomine uos appellem? Vos ne cum tam ineptas res dixeritis, in conspectum hominum prodire audetis? Vos lucem aspicere? Vos Iurisconsultis, immo uero cuiquam omnino hominũ studiũ uestrũ anteferre audetis? Quid enim attinet tam multa uos uerba de Republica, de legibus, déq; cæteris præclarissimis rebus facere; si cum hæc omnia prudentia regantur, atq; contineantur, uos eam doceri homines non posse fateamini? quid uero est impudentius, quàm uirtutem, bonosq;, ac sanctos mores uos docturos pulliceri, eosq; in media uia positos dicere, eumq; compotem uirtutis hominem fieri affirmare, cum rebus quomodo et quãdo oporteat, usus sit; quomodo autem & quando uti debeat docere nõ posse; cum hoc totũ a recta ratione præscribi, ac totum prudentiæ esse dicatis? Dignos uero homines, qui e scho-

lis atq; e Gymnasiis in forum, Curiamq; educantur; quibus exercitus committamus, quos Iuri reddendo præficiamus. Nã quomodo se illorum ratio habet, optimi sunt & Imperatores & Reipublicæ moderatores. Etenim norunt tum pugnandũ esse, cum oporteat; aciem esse instruendam quomodo oporteat; Ius item reddendum esse, cui oporteat; damnandos homines quos oporteat, quomodo uero pugnare oporteat, quomodo aciẽ instruere, cui ius reddi, quem damnari, harum rerum nullam se scientiam tenere cofitentur; sed illud Imperatoris dicunt esse, hoc Iurisconsulti. Quæ igitur in rebus Ciuilibus gerendis, in moribus hominum formandis pars est operæ in uobis? Etenim totam hanc doctrinam actionis esse supra posuimus; Actionis autem, quod ea infinitorum sit, eorumq; temporibus ac locis & hominibus definitorum nullam uos scientiam habere nõ negatis, duoq; tantum uerba in omnibus rebus affertis quomodo & quando oporteat. Vtrum macedonum Regi bellum sit inferendum quæritur. difficilis deliberatio. Philosophos consulamus. Prodite uiri sapientissimi, qui Respublicas formatis, qui rationem uiuendi hominibus traditis, quod de hac re consiliũ datis? ut id (inquiunt) in ha re decernenda sequamini quod recta ratio præscribit. seruastis nos. Hoc uel uobis tacentibus sciebamus. Sed quid tandem hæc recta ratio in hac re præscribat, id uero quærimus. scientia non in singulis rebus, sed in uniuersis, perpetuisq; uersatur. Præclarum consilium. nunquã errabimus si Philosophos audiemus. Etenim nihil unquam faciemus. Magnum pro Patria adeundum est periculum. Quæro an res uideatur eiusmodi, pro qua anima sit ponenda, neq; enim leuissimam quanq; rem, quæ ad Rempublicam pertineat, uitæ præferre debemus. Consulo uos. Quod oportet, quod re-

cta ratio (inquiunt) præscribit. Quid uero præscribit? iuxta te cum ignoro. Cui sit adiudicanda hæreditas non facile liquet. Non enim satis explicari possunt, quæ de hac re uideantur inter se Iurisconsultorum discrepantes sententiæ. Quid sequar Philosophi? Vos iudices facio. Quid censes, nisi rectam rationem? cuiq; oportet hæreditatem adiudicabis? Animo natus sum ad liberalitatem propensus; in quem tamen hominem ex multis beneficium conferam, ne in indignum contulisse uidear, nondum satis constitui; nec quem modum benignitatis faciam. Donandum est, respondent, quando, quomodo, & cui oporteat. omnino præclare uos habetis, si hæc est de omnibus rebus uestra responsio. Num igitur mentior? num hac inuidia falsò studeo uos onerare? cupio redargui; cupio refelli. Quid uero prohibet quo minus nauticarum rerum imperitissimus qui nunquam naui uectus sit, qui ne mare quidem uiderit, optimũ Gubernatorem se profiteatur; horteturq; homines, ut nauem conscendere ne dubitent, salutemq; suam suæ fidei, scientiæq; cõmittere? Cum autem nauis in altum prouecta fluctibus iactari ceperit uentisq; agitari, cumq; atrox tempestas impendere uideatur, nautæq; imperia Gubernatoris expectent, omniumq; oculi sint in illum coniecti; is uero nihil aliud præcipere sciat, nisi ut eum cursum teneant, quem oportet; uelificationẽ mutent, ut oportet, quærantq; tum nautæ quomodo oporteat, isq; se nihil præterea didicisse respondeat; an nõ dignus sit homo, qui sua temeritate atq; inscitia tot mortales in certissimũ periculũ adduxerit, qui a uectoribus in mare præceps deiciatur? ita & uos cum linguam tantum ad disputationes paulo, quàm cæteri homines subtilius excolueritis, nihilq; præterea in rebus ciuilibus gerendis studio uestro assequamini; digni estis,

quibus

quibus non modo nulla Reipublicæ pars gubernanda committatur, ſed qui ab omni humanarum rerum procuratione, ab hominum deniq; cœtu in aliquas remotiſſimas ſolitudines amãdemini. Atq; hæc nimirum cauſa fuit, quare Romani uiri ſapientiſſimi pluribus Senatus conſultis Cenſorumq; edictis uobis ab Vrbe Roma aditum excluderent. In quibus acerrimum hoſtem habuiſtis uirum ſanctiſſimum M. Portium Catonem; qui ita præſtanti, itaq; ad omnia quæcunq; ageret ingenio habili, uerſatiliq; natus, ut idẽ clariſſimus Imperator, ſummus orator, peritiſſimus Iuriſconſultus eſſet, uſu præterea in rebus humanis gerendis tanto, quantum homini ſummo ingenio, indefeſſoq; labore omnium Reipublicæ partiũ aſſidua adminiſtratio potuit afferre, cum Carneadem legatum Athenienſium Romæ de rebus Ciuilibus diſputantem audiſſet, alijq; qui intererant, ſubtilitatem illam mirarentur, inſigniq; illa diſputationis ſpecie caperentur, puto hominem ſapientiſſimum a Carneade aliquid de aliquibus rebus definite quæſiuiſſe, hominemq; ab uniuerſæ rei diſputatione ad ſingularum explicationẽ, quæ ſolæ in actionem cadunt, traduxiſſe. In quibus rebus explicãdis, cum illi præclaræ uniuerſorum diſputationi non reſpondiſſet, intellexiſſe hominem præſtantiſſimo ingenio nihil in Vrbibus opus eſſe ijs hominibus, qui inanium diſpitationum illecebra iuuentutis ſtudia a iure Ciuili, ab uſu rerum, a Reipublicæ tractatione, cæteriſq; rebus, quæ hominum regendorum ſiue ſcientiam, ſiue artificium, ſiue uſum pariunt, auocarẽt. Itaq; auctorem fuiſſe ut Vrbe expellerentur; quod idem Lacedemonios multis ante annis feciſſe ſupra demonſtrauimus. O uir ſanctiſſime M. Cato. te te inquam apello, te obteſtor, nimirum æquum fuit quod Comicus optat, ut quemadmodum mercium

diuersum inter se pretium est pro singularum uirtute, ita non omnibus eandem uitæ diuturnitatem Deos immortales dedisse, sed unicuiq; pro meritis, ac uirtute. Hoc si fecissent, profecto & omnes Philosophi iuuenes intereant, & tibi illorum anni pro tua immortali, diuináq; uirtute additi sint. Vtinam te coràm haberemus, ut quemadmodum nunc nomen tantum & auctoritatem ita uocem, prudentiæq; plenam orationem tuam uirorum leuissimorum inanissimæ iactantiæ possemus opponere. Sed quid aliorum auctoritatem cõsectamur? quid alienis sententijs pugnamus; cum ipsimet Philosophi studio suo summæ innanitatis apertissimum dent testimonium? An non Aristoteles scriptum reliquit, res mathematicas a pueris perdisci posse; ad rerum uero gerendarum scientiam, ad morales uirtutes eorum ingenium non aspirare? neminemq; pueritiam nondum egressum uel uirtute præditum, uel prudentem recte uocari, sed indolem potius quandam ad eas res in adolescentibus esse? quid ita? quia quicquid scientia assequi possumus, ut sunt res mathematicæ, ab ijs puerorum ingenia non repelluntur. Scientiæ enim compotes fieri possunt, At quarum rerum nulla est doctrina, quæq; in usu et exercitatione positæ sunt, qualis est prudentia cæteræq; uirtutes, in ijs acquirendis ætatis diuturnitate, temporisq; beneficio est opus. Potest ne ullum apertius aut clarius esse testimonium superuacaneam esse omnem de moribus, de uirtute, de prudentia disputationem, cum in ijs assequendis minimum momenti scientia obtineat, in usu sint omnia; omnisq; de moribus ac uirtutibus disputatio non ad scientiam, sed ad actionem referatur. Quid si doceo Aristotelem in hoc de moribus libro, quem isti tanquam delitias suas osculantur, quem in sermonibus tantopere iactant, quem mirã

tur, ac quasi diuinam quandam rem uenerantur, quoq; ratio-
nem uitæ optime degendæ contineri affirmant, pugnantia in-
ter se locutum fuisse, eamq; esse rerum pugnam, quæ totum li
brum euertat, ac funditus tollat, ridiculumq; planè faciat? Hic
scio illos clamaturos, meq; omnis pudoris prorsus oblitū dictu-
ros, qui non erubescam de tanto, ac tam claro uiro, cuius apud
omnia orbis terrarum Gymnasia tam celebris sit, tamq; grauis
auctoritas, ita parum honorifice loqui; audeamq; affirmare ui-
rum cœlesti propè ingenij acie ita in ea re hallucinatū fuisse,
ac turpiter lapsum. sed quanlibet uociferentur, quanlibet,
me impudentiæ insimulent, nunquam apud me plus auctorita-
tis, quàm rationis momenta ualebunt; Qua subnixus non mo-
do quæ sentiam libere exponere audebo, sed uicissim illorum
qui me accusant inscitiam ridebo, hominumq; tarditatem ludi
brio habebo; Quin etiam illud dicere non dubitabo, quod
maiores in me hominum clamores, ac debachationes excitet,
acutissimum istum Aristotelem, istum naturæ (ut uocatis) ma
gistrum, lumen istud Philosophiæ clarissimum, Deum deniq;
istum uestrum de cœlo ad homines erudiendos & instituēdos
ac moribus formandos delapsum, non modo pugnantia inter se
se in eo libro locutum fuisse (Nam id quidem & si in tanto ui
ro uix est tolerabile, tamen aliquo modo ferendum sit) sed ni
hil quod ad rem faceret, locutum esse; nullamq; eius disputa-
tionem in eo libro, ad id quod illi erat propositum pertinere,
ut ineptus planè fuerit, aliasq; omnino res, quàm quæ proposi-
tæ erant, atq; adeo meras, ac maximas nugas egerit. in qua
re scio uos etiam adolescentes, qui mihi animis fauetis, oratio
nem hanc meam miraturos, cogitationibusq; uestris tacitos ita
fortasse subiecturos, me potius nimio insectandi hominis studio

prouehi, quàm quæ ratione confirmare possim, nunc proloqui. In quo nihil uobis succenso, doq; anticipationi, quæ de huius uiri nomine ac fama in animis uestris insedit; sed illud simul peto, ne eam ita infixam habeatis, ut ratione euelli non possit, itaq; uos comparetis, ut si quod intendo uos manifeste docebo, auctoritate neglecta, quam supra tot in rebus labefactauimus atq; afflximus, rationi uos costringendos permittatis. Itaq; accedite Aristotelis sectatores, manumq; conseramus. Nego ullam rem, quam Aristoteles tractauit in libro quem de moribus ad Nicomachum scripsit quicquam ad propositum illius doctrinæ pertinere; atq; omnia ferè quæ ibi disputauit a morali institutione prorsus abhorrere dico, ac uel secum ipsum in illis disputatianibus hominem pugnasse affirmo, uel speciosa illius libri inscriptione nos decipere, ac ludifacere uoluisse, quippe qui nihil eorum, quæ ipse pollicitus sit, quæq; illa professio hominum ad uirtutem instituendorum, moribusq; formandorum suscipere uidetur, præstiterit; idq; ex ipsius Aristotelis uerbis me expressurum profiteor. Nam quæro doctrina de moribus, ac de ratione uitæ bene, ac cũ uirtute degende, in quo genere sit ponenda, ac quid tandem hæc inuestigatio & propositum habeat? Vtrum in eius generis doctrinis collocetur, quæ cognitionis, ac contemplationis sunt, quarumq; finis sit ipsa scientia & cognitio, neq; quicquam ulterius spectent, cuiusmodi sunt rerum naturalium inuestigationes, ac Mathematicæ demonstrationes, an uero hæc de moribus & uirtutibus doctrina ad actionem pertineat, totaq; ad agendum referatur, eaq; re a superioribus in primis differat, quòd illæ cognitione & contemplatione & si addere etiam placet, scientia ad quã se putant peruenire, terminentur; hæc earum rerum quas quæ

rit, cognitione & scientia nequaquam sit contenta, sed omnia ad usum & actionem tanquam ad finem quem intendit, referat. Nihil attinet uos respondere, cum Aristoteles ipse in libri initio aperte testatus sit scientiam hanc de moribus totam ad actionem pertinere, nihilq; huius finem cum aliis doctrinæ studijs habere commune; quippe quòd alijs doctrinis scientia & cognitio tantummodo sit proposita, huic minimum sit in scientia, sed omnia in actione; quæq; in ea quæruntur & disputãtur non ad intelligendum sed ad agendum dirigantur. Optime tu quidem hæc Aristotele, Itaq; quæ confiteris accipio; sed audi quæ ex tuis uerbis elicio. Eum puto aliquam rem assecutum, qui eius finem sit assecutus, eiusq; rei eum bonum præceptorem puto, qui quemadmodum ad eum finem perueniatur, sciat homines docere; neq; te dissensurum puto. Itaq; si finis huius doctrinæ in actione consistit, is nimirum hanc doctrinam assecutus fuerit, qui non quid sit uirtutus, ac quemadmodum illa definiatur uel generatim uniuersa uel singulatim unaquæq; cognouerit, nam id cognitionis est, sed qui quemadmodum a cognitione ad actionem uirtutes sint transferendæ perdidicerit; quiq; rationem teneat in unaquaq; re iuste, fortiter, temperate, prudenterq; uersandi, uirtutisq; munera exequendi; Neq; enim (ut dixi) scire quid sit unaquæq; uirtus, huius doctrinæ finis est & propositum, sed quemadmodum uirtutis officia sint exequenda, quidq; ipsa præscribit in actione explicãdum; neq; iustus is unq̃; euadet aut appellabitur, qui tantummodo cognouerit iustitiam uirtutem esse, quæ suum unicuiq; reddat, sed qui rationem intelliget suũ unicuiq; reddendi, ac quemadmodum id fiat, rationem teneat; Isq; iustitiæ & ceterarũ uirtutum præceptor recte appellabitur, hominesq; ad iustitiã

instituere, ipsisq; ad eam uirtutem uiam ostendere atq; expedire existimabitur, qui quemadmodum iustitiæ munera in omni actione, omniq; hominum societate, in omnibusq; contractibus, ac maleficijs sint explicanda nos docuerit, quam rē perspicuo exemplo planam facio & confirmo. Nam si quis oratoriæ siue artis, siue facultatis perdiscendæ auiditate captus, cum cognouerit eius artis præcipuum munus esse, quos motus orator uelit, animis audientium adhibere, eosq; motus uel iacentes excitare, uel excitatos sedare, ad artificē aliquem accedat, ut de illo rationem harum humani animi permotionum cognoscat; Isq; Artifex iracundiæ uerbi gratia definitionem tantummodo homini tradat, doceatq; iram sanguinis esse in corde incendium, quod uindictam appetat; nullam is ab hoc artifice ad hoc incendium in animis hominum excitandum, uel sedandum, opem habet. At si quis hominem doceat eam esse iræ inflammandæ rationem, si quis sceleribus eorum, quos huic hominū iræ subijcere uult connumerandis, eorū crudeliter, superbe, auare flagitiose facta in oculis auditorum posuerit, eaq; ad Rhetorum præcepta amplificando inflammarit; Contra si incitatos animos in eum, quem defendit, mitigare uoluerit & ad misericordiam deflectere, quæ aduersarij ad hominis inuidiā & odium obijciunt, hac & illa ratione esse extenuāda, alijsq; hominis benefactis & in Rempublicam meritis subleuanda, aliaq; huiuscemodi infinita illi ostenderit, tum præterea præcepta sua clarissimis summorum oratorum exemplis confirmarit, quorum imitandorum rationem illi demonstrarit; Is nimirum ad oratoriam facultatem adipiscendam hominem iuuasse, illiq; ad eam gloriam iter communiuisse dicetur; superioris qui definitionem tantum iræ ac cæterarum animi permotionū tra

didit doctrinam inanem fuiſſe,nullamq; opis, aut auxilij partem ab eiuſmodi homine eos, qui oratores fieri cupiunt,habere. Nam quanuis pulchrum ſit motuum,qui in animis hominũ ſunt definitiones cognoſcere, tamen ea res, quanuis pulcherrima ad id,quod quærimus,nullum uſum habet. Quid enim refert in corde ne an in capite,an in brachijs,an in cruribus ira ſedem habeat, ad animos hominum ad eam impellendos, atq; inflammandos, uel ab ea reuocandos,atq; excitata incendia reſtinguenda? Bonus opinor tum orator ero cum quemadmodũ hominum animi his motibus tractentur rationem tenebo; ac non quid ſit ira, ſed quibus uerbis,quo exornationum genere, qua amplificationis,uel extenuationis ui in hominum pectoribus iracundia inflammetur,uel extinguatur cognouero. Hactenus adoleſcentes de Rhetoris comparatione. Nunc uideamus an ea diſputationi noſtræ recte accommodari poſſit. Equidem puto illam tam quæſtioni noſtræ conuenire,ut nihil ſimilius ſit. Nam cum Ariſtoteles ſcientiam de moribus, atq; uirtutibus nobis ſe traditurum profeſſus ſit;in libriq; ipſius initio finem & propoſitum illius diſputationis non cognitionem ſed actionẽ eſſe denuntiarit, in qua re illi aſſentior,debuit uir acutus & ſapiens,ſi id quod pollicitus eſt,ſe præſtare uideri uolebat, uirtutis colendæ,ac quemadmodum in agendo uirtutis munera exequeremur,in nulláq; re ab officio declinaremus rationem nos docere,ut Rhetor rationem iræ excitandæ docet, quibusq; uerbis, quo dicendi, amplificandi,exornandi genere illa inflammetur,præcepta tradit, ac quibus artibus,quibus inſidijs,qua inſinuatione ad animos hominum pertractandos atq; in hanc & illam partem impellendos accedamus, demonſtrat. Nunc cum unicuiusq; uirtutis definitionem tantummodo nobis tradi-

derit Aristoteles, cum dixerit habitus quosdam esse in extremorum medio, ad eosq; agendo peruenire; de agendi uero ratione mirum sit in eo libro silentium, simile quiddam fecit atq; adeo geminum illius, qui cum rationem iræ excitandæ se docturum professus sit, definitionem tantummodo iræ nobis tradidit, quam rem ut non nego per se pulchram esse, cognitioneq; dignam, ita ad oratorem efficiendum nullam partem opis habere affirmo. similis est liber Aristotelis de moribus. Qui totus definitionibus uirtutum, nullaq; alia re consumitur, quas definitiones, ut fortasse dicent esse ad cognitionem pulchras, ita statuo ad actionem ferè esse inutiles atq; ad homines ad uirtutẽ instituendos, moribusq; formandos; uirtutisq; & officij momẽta ad uitæ usum accõmodãda, quod est illius libri ac moralis doctrinæ proprium, eum usum habere, quem iracundiæ, definitio ad eius cõmendæ beneq; dicẽdi facultatẽ assequẽdã. Quapropter perspicuũ me fecisse arbitror, ut iã non sit dubitandũ, Aristotelẽ in eo libro secum ipsum discrepasse, resq; a proposita doctrina alienas egisse, ineptumq; planè fuisse, qui cum actionis doctrinam nobis se traditurũ professus sit, cognitionis res atq; ab actione alienas disputando sit persecutus, ex eoq; Philosophorum numero esse Aristotelem, quos quidam per ludibriũ φιλοσόφους μέχρι τοῦ λέγειν οὐ δὲ τοῦ πράττειν recte uocauit. Age uero, si quis Philosophos ita interroget, utrum tandẽ disputationes istæ uestræ de moribus atq; uirtute unũ idemq; persuadent, quod de ijs leges præscribunt, an differens, ac diuersum? Vtrumuis horum responderitis, in eo magna Philosophiæ reprehensio hærebit. Nam si idem dixeritis, inanis est planeq; inutilis omnis de ea re quæstio, quam leges imperant. quæ cum Numinis cuiusdam auctoritatem apud homines obti-

neant,

neant, quid attinet eas uel ueſtris, uel cuiusuis alterius diſputationibus comprobari? Si diuerſum, tum uero uel maxima detrimenta poſsunt afferre, quippe quæ captionibus ſuis parum cautos homines a ſanctiſſimarum legum præſcriptis, a quibus omnino diſcedere fas non ſit, poſſint abducere. Quid igitur ad hæc cogitatis? quomodo elabemini? Miſera quidem eſt illa defenſio, in qua non poſſis te uno laqueo expedire, quin in maiorem te induas. Fatendum eſt igitur uobis ſtudium ueſtrum de moribus aut omnino eſſe inutile, aut legibus aduerſarium; Quorum alterum ſingularem quandam habet leuitatem; alterum nefariam temeritatem. Cum præſertim nihil uel honeſtum, uel turpe uocare poſſimus, niſi quod leges nos admonent. Etenim ipſe Ariſtoteles inficias ire non poteſt honeſta & iuſta non natura ſed legibus eſſe. Quis enim furtum in uitio ponat legibus remotis; cum omnia natura communia crearit, in medioq; poſuerit, ut ijs homines promiſcue uterentur? At leges eadem inter homines certa ratione diſtribuendo & unicuiq; cōmunium rerum certam portionem attribuendo, rebusq; ſuis cuiq; aſſignatis contentos eſſe ſingulos imperando, a reliquorumq; rebus manus hominum & cupiditatem pœna & infamia cohibendo; in committendo aduerſus ea uitium ineſſe uoluerunt, idq; nomen ei rei impoſuerunt. ſimilis eſt in contraria parte uirtutis ratio, quæ ijs rebus efficiendis, ad quas nos leges præmijs & laudibus incitant, hoc præclarum obtinet nomen. Cuius rei apertiſſimum ſignum eſt, eandem rem apud aliam nationem ſummæ turpitudinis eſſe, atq; infamiæ; apud aliam laudis, & gloriæ. Fures apud quosdam populos in honore habitos legimus; apud nos infamia & ſummo ſupplicio coercentur. Iniurias perſequi apud ueteres ſummæ uirtutis fuit, exi-

miæq; animi magnitudinis? At christiana lenitas, atq; clemẽtia ab hac ratione longissime abhorret. Tirannum interficere magnam gloriam apud ueteres, magna etiam præmia habuit; Christiano homini omni cæde est interdictũ. Quis igitur istius uestri studij hominibus usus est, cum quid sit uirtus, quid uitium leges tantum docere non uestræ quæstiones debeant? ad uirtutem uero media uia, quæ ad illam ferat, non demonstrata uobis Ducibus peruenire non possimus? Et adhuc nobis obijcietis, uos omnia, quæcunq; ad uitam hominum pertinent, doctrina uestra esse complexos; Iuriscõsultos in una tantum, eaq; perexigua parte laborare? Ita ne uero, uos omnia complexi? Optimos ne Imperatores disputationibus uestris facitis? At nemo uestrum aciem unquam uidit; nemo in solem atq; puluerem unquã exiuit. Boni ne Senatores e scholis uestris exeũt? At nemo est gerendarum rerum uobis imperitior, cum præsertim non negetis naturalium rerum contemplatione homines a rebus gerendis abduci. Iuris ne reddendi, ac respondendi sciẽtiam traditis? At hanc partem excolendam ad nos delegastis; Bobis ne moribus homines imbuitis? At infinitos uideo uestris præceptis instructissimos summis sceleribus, ac flagitijs inquinatos. Vtrum igitur in maiore laude est ponendum, infinitas res disputatione persequi, omniaq; quæcunq; in hominum actionem cadunt, profiteri, ac nihil in ulla re prorsus assequi, nihilq; ex tot magnis, ad speciemq; in primis insignibus promissis præstare, quod uos facitis; An ut Iurisconsulti, unã tantum Reipublicæ partem, eamq; grauissimam, ac latissime patententem tractandam atq; excolendam suscipere, ac tanta cum laude sustinere, nihil ut ne excogitari quidem possit perfectius? Quod ne longius aut obscurius fiat, quanquam nobis

nunc(ut initio dixi) non est illud propositum, ut Ius ciuile laudemus, quod multi ante me satis ornate & copiose & ex hoc & ex alijs locis fecerunt, satisq; habemus si studium nostrũ infinita laude Philosophorum somnijs anteponamus, quæ tam nugatoria mihi uidentur atq; inania, ut interdum uerear ne hæc Iuris consultorum cum tam leuibus hominibus comparatione plurimum de illorum dignitate detrahere uidear. Sed tamen quoniam uidemus eos magno cum silentio ab hominibus audiri, a nonnullis etiam cum magna admiratione; eosdemq; cognouimus studium nostrum sæpe in sermonibus premere solere, suscipienda omnino hæc oratio fuit, quæ & illorum temeritatem coerceret, & hunc errorem e mentibus hominum penitus eriperet. Igitur cum omnium prudentium uirorum leges illud in primis spectent, omniaq; instituta eò referantur, atq; pertineant, ut concordiam inter homines tueantur, quod Aristoteles etiam probat, concordia uero Iustitia in primis cõtineatur; Iustitiæ porro duæ partes sint (ut plurimas diuisiones, quas scio de illa afferri solere, omittamus) altera quæ hominum audaciam coercet, eosq; a mutuis iniurijs & a sceleribus ac maleficijs pœna cohibet; altera, quæ in contractibus hominum regendis; in iure de unaquaq; re hominibus reddendo; in controuersijs quæcunq; inter Ciues ob res suas tuendas incidere possint tollendis tota uersetur; eæq; duæ res cũ sint hominibus utilissimæ, in primisq; necessariæ, quis dubitet quin earum rerum scientia præstantissimum dignitatis gradũ debeat obtinere? Cumq; mutuis Commercijs, mutuisq; præstationibus, atq; officijs, nec non maleficorum hominum scelere atq; audacia cobibenda humana societas ferè contineatur; quæ res plurima contractuum genera, multiplexq; ius in homi-

nes induxerit, quid eſt per Deos immortales magno, ac præclaro uiro dignius, quod maius eſſe prudentiæ aut uirtutis munus, quod maius officium in hominum genus poteſt conſtare, quàm earum rerum ſcientiam perfecte tenere, quæ in primis humanam ſocietatem conſeruent? Quæ ſcientia cum Iuriſconſultorum ſit, quis non illos in magno habeat honore? At quẽ admodum de ijs ipſis rebus tractant? Similis eſt credo horum in rebus tradendis atq; Philoſophorum ratio, utq; Philoſophi ad ſingulas res, quæ tantum ſunt actionis, nunquam deſcendunt, ſed definitiones duntaxat, uniuerſáq; rerum genera attingunt; ita credo Iuriſconſulti capita modo rerum ponunt; a quibus cum de aliqua re lis inciderit, ius ſit repetendum, difficiliusq; ſit, ad eorum normam iudicium dirigere, quàm ſi ea ſublata tuo tibi iudicio uti permiſiſſent. Illi uero ſingulas res diligentiſſime perſequuntur, atq; ita perſequuntur, ut nemo ſit tanta ingenij acie, tantáq; celeritate præditus, qui diuturna cogitatione, cum mentem in eam rem penitus iniecerit, aliquod factum effingere poſſit ita implicatum, quin de ſimili re uel ſit definite reſponſum, iusq; nominatim penè traditum, uel certe ex ea reſponſorum ſerie haud dubia ratio apertiſſime elici poſſit, qua omnis cõtrouerſia expediatur, planéq; tollatur. Dij immortales quantam rem, quàm uix credibilem dicere uideor. atqui res ipſa loquitur; neq; enim tantæ rei fidem mihi haberi poſtulo, niſi eam manu doceo. Quare in medium ſi quis uelit, procedat, remq; ad eximium aliquem Iuriſperitum deferat, redeatq; poſtridie eius diei, niſi reſponſum aufert, quod uel definite in Pandectorum libris ſcriptum legat, uel certe eiuſmodi, quod non contortum ſed ingenue ex eiſdem reſponſis deductum ipſemet fateatur; non defendo quominus in tan-

ta hominum contemptione iaceat ius ciuile, quantas paulo‑ ante, quamq; multas ignominiæ notas Philosophiæ inussimus. Hoc est sapere; hoc est homines, quæ agant, docere; hoc est Ciuibus suis præsidio, ciuitatibus ornamento esse; hoc est grauissimas Reipublicæ partes sustinere; scientiam scilicet tradere, qua uniuscuiusq; rei cuius controuersia incidat, omniumq; maleficiorum, quæ a nefarijs hominibus admittuntur, pœna & supplicio coercendorum ius definite tenere possimus, cum interea uos in inanissimis adumbratæ scientiæ uerbis fundi‑ tandis misere sitis occupati. Nam cedo nunc contra locum aliquem ex omnibus uestris Paradoxis ex omnibus de rebus publicis libris, ex omnibus de tuendare domestica præceptis, unde statuere possimus, Vtrum e Republica Venetorum sit magis Cæsarianas an Gallicas partes sequi; An Pontificis Maximi rationibus sit accommodatius hos, uel illos societate sibi asciscere; An Cæsare Gallias inuadente Pontifex imploratus legiones suas Gallis subsidio mittat. Atq;(ut ad humiliores res descendamus) Vnde mercator mercibus naufragio amissis, pluribus nominibus urgentibus, cum de fide sua solicitus sit, ne uel ea omnino concidat, uel in dubium ueniat, rationem elicere possit rerum suarum expdiēdarum. Atqui hæc omnia uos Philosophi profitemini, qui rerū ciuilium, ac domesticarum tractationem uobis scilicet assumatis; qui uos rerum humanarum moderatores prædicetis. Sed ut ad Iurisconsultorum nostrorum laudes redeamus, ac ne uideamur legū gloriā, quarum utilitas omnes Reipublicæ partes complectatur, ac ui sua in omnes humanas res se se fundat, nimium angustis terminis, hoc est maleficiorum coercendorum & contractuum regendorum, priuatarumq; controuersiarū

iudicio expediendarum circunscribere; Rem si placet copiosius agamus. Itaq; nego ullam omnino rem esse, quæ uel multiplici utilitate, uel ingenij laude, uel facultatis præstantia cum legum gloria sit conferenda; a qua dico cæteras professiones, quæ de humanis rebus sint præclarissimæ, lõge anteiri. Quod ut liquidius appareat, eam rem capiamus, quæ inter omnes dignitatis primas semper tulisse uideatur; hoc est militarẽ scientiam, Imperatorisq; uirtutem, quam si legum facultate in cõparatione longe inferiorem esse uincemus; neminem tam proiecta impudentia fore putamus, qui audeat ullius artis, aut sciẽtiæ commendatione, ad legum gloriam aspirare, cui uideat clarissimos ipsos belli Duces multum de dignitate concedere. Age igitur quæ beneficia a militari uirtute habeamus, primum cõsideremus; easq; diligenter persequamur. quod cum fecerimus, tum legum utilitates subijciemus, ut ueritas in comparatione maxime eluceat. In qua re tantum abest, ut quicquam de militari gloria detractum uelimus, ut illam potius omnibus rebus ornatissimam esse cupiamus, atq; ad laudes, quas Imperatoribus merito plurimas tribui intelligimus, aliquid de nostro si fieri possit, addere optemus. itaq; confitemur militarem uirtutẽ ab agris uastitatem, ab Vrbe direptionem, atq; incendium, supplicia, ac cædem a Ciuibus prohibere; Huius opibus deficientibus nostras ab hostibus fortunas exportari, fana spoliari, liberos e matrum complexu in seruitutem abduci; matronis in coniugum oculis uim, ac stuprum inferri; Virgines parentibus inspectantibus uiolari. Quid autem est miserius, quàm capta urbe grauissima seruitute premi? superbis uictoribus parere? intolerabilia tributa pendere? quid autem ad uidendum indignius, ad ferendum acerbius, quàm magistratuum, quos uicto-

res mittunt, iniurias pati? superbiam ac contumelias ferre? hiã tem ac rebus nostris imminentem auaritiam explere? flagitiosam libidinem in uxoribus ac liberis experiri? crudelitatem in ciuium suplicijs intueri? Quid porrò luctuosum magis, quàm quietis ciuibus negotium conflari? innocentibus periculum creari? honestissimos & locupletissimos quosque per ficta crimina fortunis euerti? Cumq́; nihil superbe, atq; inique regnantibus sit suspectũ magis neq; quod magis extinctũ cupiũt, quã eorũ, quos Dominatione premũt, uirtus et prudẽtia, ut quẽq; audiũt, his duabus rebus cæteris præstare, ita uel exilio ex Ciuitate exigunt, uel omino de medio tollunt. Tantas ac tam multas calamitates uno militaris uirtutis præsidio uitamus. Atq; ut aliò mentem conuertamus, circumspicite mecum Adolescentes quæso omnia, quibus Ciuitas uiget, facile iudicabitis in Imperatoris tutela omnia Ciuitatis uersari. Nam quid est ad urbis celebritatem accommodatius, quàm opificum frequentia? quid ad aspectum lætius, ad speciem ornatius, quàm tabernarũ multitudo ac uarietas? At has tueri militaribus auxilijs destituti non possumus. Quid? mercatoria negotiatio, quæ Vrbes auget, non ne tota iacet serua Ciuitate? Quid? iuris æquitatem, aut nostras leges, aut maiorum instituta in seruitute retinere possumus? liberos uero nostros liberalibus artibus excolere, honestis disciplinis formare, ad pietatem ac uirtutem fingere qui possumus nisi in pace ac rerum trãquillitate? Pax autem & tranquillitas in Ciuitatibus ab Imperatoribus depulsis hostibus constituitur. Iam uero illud quantum est imperium nostrum proferre? Hominibus imperare? Hoc profectò est omnium humanarum rerum maximum & præclarissimum, ut nulla ferè re proprius ad Deos immortales accedamus; ut re=

cte summus Poeta cũ cæteris gentibus ac nationibus Romanos uellet anteferre; æris excudendi ac signorum faciendorum artem, dicendi facultatem, liberaliumq́; artium scientiam alijs populis concesserit, Populorum uero imperio regendorum gloria & fælicitate Romanos super alios extulerit. Et hercule quid est præclarius, quàm eos, qui tibi pares natura sint, tibi parentes uidere, atq; ad nutum obedientes? ut hæc una res uideatur homines ex hominum genere, quadam dignitatis præstantia educere, & supra humanam sortem collocare. Quare mihi quidem nihil mirum uidetur si tanta contentione homines inter se de Imperio decertent; si tot curis, laboribus, periculis, morte deniq; ipsa Regna ambiantur. Huius igitur rei omnium præclarissimæ assequendæ una est militaris uirtutis uia. Atq; ut in præclara re laudanda paulo diuitius immoremur. Cum duæ res sint, quæ hominum uitam in primis conturbẽt, atq; exerceant auaritia et immoderata nulláq; ratione cohibita ambitio, ab ijs tanquam a fontibus cum cætera damna et detrimẽta, tum discordias, contentiones, rixas, dimicationes, bella manare constat. quæ duæ res, cum in hominum mentibus ita insitæ sint à Natura atq; infixæ, ut prorsus euelli non possint, ea quoq; quæ ab illis efficiuntur in hominibns residere necesse est. Cum igitur ab alterutra harum causarum bellum aliquod est excitatum, quid est utilius, aut præstabilius, quàm hostibus exitium Patriæ inferentibus, pauentibus & cunctantibus cæteris, cum neq; in Iurisconsulto quicquam sit tanto malo præsidij, neq; orator ullam opem afferat, Philosophus uero de ideis Platonis, atq; alijs somnijs quærat, unum aliquem existere egregia animi magnitudine uirum, singulariq; uirtutẽ, ac fortitudine, qui Ciues suos metu prostratos bono animo esse

iubeat;

iubeat;opem ſuam polliceatur;omnem illum impetum in ſe ſuſcipiat;delectu habito aduerſus hoſtes exeat; eos conſilio, uirtute,manu conſerenda prælio uincat,atq; a finibus noſtris arceat? Nonne huic reuertenti æquum erit omnes Ciues obuiam prodire, illiq́; ſalutem ſuam cum ſumma gratiarum actione acceptam referre? An non opifices ſe illi tabernas ſuas debere confiteantur? Non mercatores merces,ac negotiationes,quibus honeſtatem ſuam ac domeſticum cultum tuentur? Iuriſuero conſultus nonne omnem illam frequentiam, qua domus ſua celebratur,Imperatoris beneficio ſe dicat obtinere? Quid uero orator? An non is illam audientiam,quam ſibi dicendo facere ſolet,amiſſurus in poſterum fuiſſet rebus ab Imperatoris ope deſertis? At quemadmodum eam opem tulit? in umbra credo ut Iuriſconſultus atq; Orator; quorum neuter ſolem, aut puluerem unq̃ aſpexit, ſed alter de cubiculo conſulentibus reſpondet,alter apud Iudices uoce tantummodo decertat, uel Populi ſtrepitum uocis tantum contentione uincit, uel in Senatu apud animos pacatos uerba funditat? longe diuerſa eſt Imperatoris ratio. Nanq; is innumerabiles ſolicitudines, ac moleſtias capit;infinitos labores exhaurit;inediam, æſtus, algores, niues,imbres,ſoles perfert;diſcrimen uitæ adit; uulnera corpore aduerſo excipit;ſanguinem profundit;mortem deniq; pugnando uir impauidus fortiter oppetit. Et adhuc dubitabimus an Imperatoris utilitas atq; gloria ſit omnium maxima ac præſtantiſſima. Age quæ ex omnibus humanis res eſt, quæ maiore,magiſq́; acri ingenij & conſilij ui indigeat, magnarumq́; rerum multiplici magis ſcientia cõſtet,quàm Imporatoris ars & ſcientia? Quanta enim ingenij acie ſunt Imperatori hoſtiũ conſilia odoranda, inueſtiganda, cognoſcenda, exploranda?

quanta diligentia illis est occurrendum? insidiæ sunt contra comparandæ? quanta cum ingenij celeritate, animiq; magnitudine præsentia expedienda, ac futura prouidenda? Quàm debet bonus Imperator locorum, montium, fluminum, uallium naturas, urbium situs, multiplicia oppugnationum, ac defensionũ genera cognoscere; quanta cum scientia loca idonea ad castra ponenda, ad aciem instruendam, ad manum conserendam debet eligere? quàm porrò scienter aciem ipsam instruere, quæ res in primis uictoriam parere solet? Cum uero exercitus constet uarijs hominum generibus, teneat oportet Imperator cuiusq; nationis uenas, hominum naturas cognitas, ac perspectas habeat; eorum animos sciat artificio quodã tractare; in hostes incitare; incitatos mitigare; exercitus uoluntatem sibi allicere & conciliare; seditiones ne conflentur prouidere; exortas comprimere; uultum uero a quo totus exercitus pendet, ad uarios casus quasi Proteus quidam fingere. Quot igitur res, quàm magnæ in unius hominis scientia ac moderatione uersantur? Hactenus Imperatoris munera atq; officia exposuimus; atq; ita exposuimus ut neminem existimaturum putemus, quicquam illi de ueris laudibus oratione nostra fuisse detractum. Nunc ad leges cogitationem conuertamus, quæq; beneficia ab illis habeamus cum militaribus utilitatibus comparemus. Igitur illud primum quæro, an semper egregius Imperator reiq; militaris scientia tanta præditus, quanta maxima in hominem cadere possit, uictoriam suis Ciuibus pariat, ac non contra sæpissime uel acie amissa profugiat, uel cum exercitu ipse deleatur? Profectò respondebitis, ut optimus Gubernator nimia ui tẽpestatis, cui ars nautica par esse non possit, aliquando cũ naui simul deprimitur; sic fieri ut Imperatoris uirtus interdum ma-

ioribus quibusdam uiribus cedere cogatur. Quid? An & nō sæpe euenisse audiuimus, nt nulla ita ingenti procellæ magnitudine Imperatoris uirtus circunuenta casu tamen aliquo, qui humanæ prouidentiæ uim effugerit, aciem amiserit? Profectò negare non possumus fortunam cum in relisquis humanis rebus, tum uero in bello maxime dominari. Non igitur semper uictor optimus Imperator, quippe qui neq; tempestatis magnitudinem, neq; fortunæ arbitrium possit præstare. Neminem uestrum hoc inficiaturum puto. Nunc si quis existat, quem nulla uel maxima tempestas possit in bello opprimere, uel inimica fortunæ uis lædere; Contra ipse fortunæ imperet, ac semper uictor discedat, quantum tandem interuallum in ter hunc & maximum illum Imperatorem interiectum putabitis? Tales uiros dicetis non inter homines nasci, sed e cœlo ad nos delabi; quod uobis assentior. Etenim puto omnes eximia aliqua uirtute præcellentes uiros, quos Heroas Græci appellāt, e cælo delapsos. Age uero ut semper in acie uincat Imperator, non ne plurimorum egregiorum Ciuium ac fortium uirorum cæde uictoria constat? Si ergo tanta sit alicuius hominis uirtus, quæ hostes uincat suis integris, nullo milite confecto prælio desiderato, ne saucio quidem, quem uos uirum illum existimabitis? Imperatorem ne illi conferre audebimus? Hunc non tanq; hominem, opinior, salutaremus, sed quasi Deum qnendam uenerarèmur. Iā uero ut uictoria semper ab Imperatore pariatur; multa tamen dum bellum geritur incommoda, multa detrimenta cum eos populos qui in nostra ditione sunt, tum socios atq; cliētes accipere necesse est, uel ab hostibus, si in agrum nostrū sint ingressi, uel a nostris; cum uel sata uastantur, uel uici diripiuntur, uel domus incēduntur, uel ad arbitrium cohortes aluntur,

uel hoſpitio accipiuntur, uel cibarijs gratuito iuuãtur; illud certe maximum incommodum uitari non poteſt, quòd agrorũ cultus deſeritur, quòd tabernæ clauduntur, opificia relinquuntur, negotiatio mercatoria conquieſcit; quibus uero quotidiana opera eſt uictus (quæ eſt pars hominum maxima) ijs cibi quærẽdi ratio a bello impeditur; ut pleriq; infimæ ſortis homines ſæpenumero fame conficiantur. Iam uero ærarij uiribus deficientibus, cum ne portoria quidem ad aſſiduum belli uſum ſufficiant, quantum tandem eſt odium inhumanæ illius nouorum tributorum exactionis? quæ tam grauiter interdum populos uexat, ut pleriq; ſedes ſuas ac domicilium deſerere malint, quã in tanta acerbitate uerſari? Si quis igitur bellum ita gerat atq; conficiat, ut nullum ex ijs incommodis, quæ infinita cernimus, ad homines perueniat, ſed agri colantur, negotiatio celebretur, opificia urgeantur, nullum deniq; pacis ac tranquillæ Ciuitatis opus ceſſet; ærario, portorijs parcatur; nulla tributa imponantur; nullum frumentum imperetur; nihil belli nomine a perditis ac miſeris populis erogetur, an illi minor gratia belli ita adminiſtrati, quàm uictoriæ partæ debebitur? Quanta Dij immortales erit huius uiri utilitas? quantum illi & Imperator & cæteri homines de dignitate concedent? Deum me quendam non hominem narrare dicetis, ac ſimile quiddam nũc fortaſſe moliri eorũ, qui tales Reſpublicas, ac tales Reges, talesq; oratores informarunt, quales neq; unquam fuerunt, neq; apud homines eſſe poſſunt; Cum non ſatis una hominis ætas tãtas, tamq; multiplices res poſſit percipere; abſurdioremq; eſſe meã quàm illorum rationem, quòd illi nihil in ideis ſuis formandis attigerunt, quæ non ſint in hominum poteſtate; ego uero excellenti uiro meo ea etiam tribuam, quæ humanæ uires præſta

re non possint; quippe quem ex fortunæ libidine exemerim, et in ea quidem re gerẽda, in qua maximus est fortunæ Domina tus; quemq; uelim anima tantum, quæ de cœlo ducatur, exercitus alere, cum abstineam ab ærario, a portorijs, a uectigalibus, a tributis; ac tanquam ominum humanorum corporum natura ea sit, quam Achillis fuisse Poetæ fabulati sunt, quod omnino tranfigi, aut uulnerari non poterat, sine suorum sanguine uictoriam parere. subsistite Adolescentes, ac iudicium cohibete, neq; enim somnijs aut commentitijs rationibus uobiscum ago, sed plurimis in locis, multisq; ætatibus multos fuisse dico, qui hæc, quæ humanam facultatem effugere uidẽtur, præstiterint; ex quibus non unum modo sed plures nominabo. Ac ne longius faciam, si quis tanta uirtute reperiatur ut bellum ne omnino inter homines exoriatur, prouideat, an non is præclare omnia ea mala, quæ plurima a bello importantur, de uita hominum sustulerit? an non is uictoriam semper pepererit? si quidem nihil aliud nisi pacem sine iniuria bello quærimus. Hic intelligo uos longe magis miraturos, meq; deliramenta loqui arbitraturos; sed ego quamplurimos fuisse ostendam, qui hæc præstiterint. Quorum uirtus ut in altiore utilitatis gradu a me collecetur, duo alia bellorũ genera non uidentur mihi prætereunda, quæ superiori oratione non attigimus, quæ neq; minora sunt, quàm ea bella, de quibus uerba fecimus, neq; minore cum periculo geruntur. Eorum alterum est Ciuilis discordia, intestinumq; Vrbis bellum; neq; enim minora detrimenta ab hoc, quàm ab externis bellis Ciuitatibus sunt inuecta, neq; minus multas urbes ab odijs ciuilibus ac discordijs, uel prisca, uel nostra ætate euersas ac deletas legimus, neq; minus multa imperia concidisse. Alterũ uero

illud est grauissimum periculosissimumq; bellum, quod nobiscũ ipsi assidue gerimus; periculosius enim cum eo hoste decertamus, qui ita occultus sit ut non sentiatur, nullaeq; sunt insidiae grauiores, quàm quae in simulatione necessitudinis ac familiaritatis latent. ea est porrò huius hostis obscuritas, ut non hostis numero, sed alterius nostri partis nobis instar sit. Cumq; nihil in hostium uictoria acerbius sit ad ferendum, quàm seruitus, ea est grauissima seruitus, qua nobis ipsi hoc est sensibus, ac cupiditatibus, nostris paremus. alijs.n. seruire sine culpa nostra fortunae iniuria possumus; nobis uero sine summa turpitudine, atq; ignauiae infamia seruitutẽ seruire nõ possumus. Quãtũ igitur munus est excellentis uirtutis, haec duo ingentia mala nec periculo, nec magnitudine externis bellis inferiora prouidere ne conflentur, uel conflata comprimere? Atqui nullo haec in Imperatoris officio uersantur; ut necesse sit a praestantissima illa uirtute, quae hominũ admiratione ad Deos accedit, optimum Imperatorem longe abesse. Hic uideo uos adolescentes, a tota hac mea ratione abhorrere, ac me uix iam posse dicentem ferre; atq; existimare me (quanuis id supra purgarim) ad eorũ morem me applicare, qui cum de rebus ciuilibus quaeritur, ea solent in disputando dicere, quae a communibus hominum moribus uehementer abhorreant, quaeq; si uelis e scholis in lucem atq; in forum educere, non possis ad ullum usum uitae accommodare. Eminentem enim quandam effigiem uirtutis posui, quae uix in Deum cadere possit. Vt enim possit unus homo egregius belli administrator esse, omniaq; habere, quae in Imperatore summa esse possint; idẽ praeterea ciuiles discordias compescere sciat; animis ciuium moderari, odia euellere, dissidentes uoluntates conglutinare; omnes deniq; temporum

inclinationes et conuersiones prudentia sua regere; Rationem præterea teneat quemadmodum homines a morum sanctitate aberrantes ad omne officij genus reducat; eosq; ita fingat, ut in animi perturbationibus rationi obediāt; hæc omnia quāq; in uno uiro propter æui breuitatem, atq; humani ingenij imbecillitatem sunt difficilia, tamen non magnopere uos pugnaturos arbitror quin aliquādo possint reperiri, quiq; eiusmodi fuerit, eum non recte Imperatori præferendum censebitis, sed tres præclarissimas res in unum hominem conuenisse dicetis, quarū palma uel utilitate, uel animi magnitudine uel ingenij præstantia, uel laboribus, uel periculis, uel multiplici magnarum rerum scientia militari facultati danda sit; Vt uero aliquis possit prouidere ne bellum inter homines omnino exoriatur, ne ciuiles discordiæ in urbibus excitentur, ne homines unquam a recto uirtutum cursu declinent, hoc uni Deo reseruatum uix homini optare fas esse existimabitis. sed ego ut doceā permultos eiusmodi, quales eos finxi, sæpe fuisse, ac ne diutius uos suspensos teneam, cum duas bellorum causas paulo ante posuerimus auaritiam et immoderatam ambitionem, ab eisdem ut bella externa, ita intestinas discordias proficisci constat. Qui ergo de hominum uita has duas causas sustulerit, an non is non modo bella confecerit & seditiones sedarit, sed etiam eorum initia sic oppresserit, ut nullum prorsus negotium possint hominibus exhibere? Necesse est enim causa sublata, quæcunq; illam causam consequantur simul tolli. sed dicetis, cum ea quæ naturæ sunt ab arte tolli, uel a consuetudine mutari non possint, quæ tandem uel ars uel consuetudo duas res in hominibus penitus insitas atq; infixas ex humanis animis euellet? lapidem ne aliquis crebris sursum proiectionibus as-

ſuefaciet, ne deorſum feratur, atq; orbis medium petat? Ignis ne quis iter ſuperiora natura petentis ad inferiora ulla arte cõuertet? Recte vos quidem hoc, ſed facile reſpondeo. nam non eadem eſt in omnibus rebus naturæ uis ac ratio. neq; enim ijs animi motibus neceſsitatem natura adhibuit, ſed quandam tantum procliuitatem in alterutram partem propenſiorem; quæ tamen tota in rationis arbitrio, ac poteſtate uerſatur, ut nulla ſit tam uehemens animi commotio, quam ratio ſedare atq; extinguere non poſsit. Quapropter complures philoſophi, ijq; nõ ignobiles uirtutem ſic definiuerunt, ut illam perturbationum uacuitatem eſſe dicerent, qui quanquã ab Ariſtotele perpetua quadam conſuetudine aliena peruellendi utq; inſectandi reprehenduntur, quædamq; ab eo in ijs motibus moderatio adhibetur, multis tamen claris ac ſanctis uiris rationem ſuam probarunt, quorum ſententia non modo Philoſophis indigna cenſenda ſit, ſed riſu quoq; explodenda; ſi quidem in ea re uirtutem ponant, quam ab hominum poteſtate Naturæ neceſsitas abiudicet; Iſq; ipſe Ariſtoteles docet, nullam uirtutem earum, quæ ad mores pertineant, nullum ue uitium in nobis natura ineſſe, ſed cõſuetudine paulatim gigni, alioquin neq; uirtuti laus, neq; uitijs uituperatio recte adhibeatur, quippe quæ naturæ neceſsitas ab omni reprehenſione liberet. quod peruagatiſsimis exemplis planius fieri poſſet. nam ut omittam plurimos ſummos viros ita nullo deſiderio ductos fuiſſe earum rerum, quarum perditiſsima cupiditate uulgus tenetur, ut cum ab exigua ac tenui re ſua non ſatis alerentur, ingentia tamen dona a Regibus ultro oblata aſpernarentur, quid eſt a quo Natura magis abhorrere uideatur, quàm a dolore? quod eadem magis aſciſcat, quàm uoluptatem? Quæ porrò ardentis amoris flamma cum

filiorum

filiorum charitate est conferenda? Ac ut a summis & fortibus uiris plurimáq; doctrina excultis, quos innumerabiles in hoc genere possim proferre, ad pueros ac fæminas orationem traducamus; quanta fuit illa in uno ex Alexandri pueris doloris perpessio atq; contemptio, qui ne à candentis quidem ignis ui cruciatus atq; crematus ullum eiulatum, ullam ue doloris uocem omnino emiserit, ne Alexandri sacra conturbaret? Pueri uero Lacones a uirgis concisi ac lacerati, ne cruore quidem toto corpore madentes ullum uicti animi signum dabant. Quid mulier illa Lacæna, ad quam cum filius e bello reuersus esset amisso scuto, retineri non potuit a materna indulgentia, quin multis probris obiurgatum manibus suis interficeret? an non docuit uirtutem omnes humanas perturbationes constrictas tenere? Omnes igitur cupiditates atq; animi motus cum a duabus causis comprimantur atq; tollantur ratione & consuetudine, certior est, ut mihi quidem uidetur, consuetudinis uis atq; diuturnior. nam rationem plerunq; uel a libidinũ æstu in altũ abrepti, uel nimia doloris ui fracti non audimus; fitq; præterea, ut cum uulgus ab opificijs, cæterisq; negotijs districtam ætatẽ agat, ac non satis possit ijs operã dare, qui de uirtute atq; officio disputant & ratione præcipiunt, pauci admodum Philosophos audire possint, ac rationi se curãdos præbere; ac nõ raro accidisse scimus, cũ multi cũ rectæ rationi in uita sua cõformãda diu paruissent, repente ab instituta ratione desciuerint, uel sophistæ alicuius oratione uel opinionis superuenientis prauitate peruersi, uel uoluptatum illecebris obcæcati. quæ incommoda in consuetudinem cadere non possunt. neque enim habitum mentis simul cum lacte imbutum, et ad firmam usq; ætatem constanter perductum potest quis uel dolore deserere, quẽ

perferendi aßuetudine iam non sentit, uel libidinum facibus, quas conculcauit; cum præsertim nihil sit illi iucundius, quàm ipsa illa uita ex præclara illa disciplina ad eum diem acta. Neminem præterea, (id quod maxime rem continet) disciplina ac consuetudo a sè repellit; neminem quanuis negotiorum multitudine obrutum excludit; sed omnes lordines, omnesq; ætates ac pueritiam in primis complectitur; omnibusq; opem suã tendit. Quæ mea ratio duorum nobilissimorum Græciæ populorum Atheniensium et Laconum exemplo ac testimonio cõprobatur; Quorum alter assiduis Philosophorum disputationibus de summo bono, de uirtute, de omni genere officiorum, de Republica, de legibus nunquam est melior factus; Alter uero morum sanctitatem, quam a disciplina Lycurgi legibus inducta accepisset, multa secula integram incorruptamq; retinuit. Igitur uirtutes non posse in Ciuitatem disputando persuadẽdoq; induci, ac uitia ex eadem expelli, cum ex ijs rebus, quas collegimus modo, tum ex clarissimo exemplo, quod mox adiuncturi sumus, liquido apparebit. Quis enim auaritiam, insanamq; diuitiarum cupiditatem in animis hominum tam insitam, tamq; infixam ex toto uno aliquo populo unq; exegit, ac pro ea diuitiarũ contemptionẽ persuadendo induxit? Oẽs historias euoluite, neminẽ talẽ fuiße reperietis. Atqui hoc idẽ Lycurgus, quod fieri uix poße per rerũ naturã uidetur, legibus & institutis suis est aßecutus, legimus.n.in Sparta diuitias multis seculis in summo hoĩum despectu iacuiße. miro.n. artificio uir prudẽtissimus cũ pecuniarũ usum ferè sustulißet, earũ simul cupiditatẽ extinxit. Nam primũ ad opes popularium suorum exæquandas agros publicatos uiritim æquis portionibus distribuit. Deinde aureo & argenteo numo ex Sparta ablegato numum ferreum

uastæ magnitudinis ac magni ponderis, neq; ad seponendũ idonei, minimiq́; pretij ut ad conuehendam Domum decem minarum æstimationem iumentis & uehiculis opus eßet, iußit signari. Quo factum est, ut reliqui Greci hoc genus numorum irridentes nullam rem, quæ animos hominum emolliret, quarum etiam rerum artifices ex urbe expulit, in Spartam importarent, quippe ubi nullum se lucrum facturos intelligerent, quibuscum nullius pretij numis merces essent commutandæ. Quibus rebus factum est, ut Laconum animi paulatim ab eius rei amore ac cupiditate alienarentur, quam propter eius inconditam ac rudẽ uastitatem neq; cumulare, neq; seruare poßent; cuiusq́; cum nihil eßet in Sparta, in quod magnopere illam insumerent, nullum ferè usum haberent. Perspicuum igitur esse arbitror duas illas ingentes pestes omnium ferè malorum causas auaritiam & ambitionem poße de uita hominum tolli uel a recta ratione, uel in primis a sancta disciplina, diuturnaq; earum rerum, quas diximus, assuetudine. Atq; hæc consuetudo ac disciplina cum a sanctis legibus & institutis, optimisq; ac prudentibus legum latoribus in urbes inducatur, quæ erit cæterarum rerum, uel utilitas, uel dignitas, quæ poßit cũ tantis uiris comparari; quorum ita excellens, itaq́; admirabilis uirtus fuit, ut ijs legibus Ciuitates suas temperarint, quibus Ciues sui, omnesq́; qui eisdem legibus tenerentur, beatam uitam perpetuo agerent? Nam cum omnium humanarum rerum ultimus finis sit, quo omnia referuntur, quoq́; omnes homines contẽdunt beatitudo, quæ eadem summum bonum uocatur; ad quam tanta sit, tamq; multiplex uiarum erratio, ut quampaucißimi eũ cursum tenere poßint, qui ad beatitudinis sedes perducat, quid est diuinus, quàm unum hominem existere, qui non solũ

beatitudinem ipse assequatur (quod quidem est præclarissimũ) sed omnibus Ciuibus suis iter expediat, Dux ipse fiat, reliquos sequi iubeat; ac manu penè ducat; eam deniq; omnibus uiam muniat, quæ nullo errore, paruo labore, eóq; maxima uoluptate iuncto ad beatitudinem ferat? Cuius uiri beneficium eo est mirabilius, quòd & Imperatoris & cæterorum clarorum uirorum utilitatem ad breue tempus uiuis ipsis sentimus; legum uero latoris utilitatis non simul cum homine fit interitus, sed innumerabilia secula apud Ciues residet; nunquã Ciuitatem suo præsidio deserit; ut iure antiquitas cæterarũ utilitatum ac præclarũ rerum, laudatarumq; artium auctores homines faceret, eamq; gratiam humano ingenio haberet, legum uero ferendarum, Ciuitatis sanctis moribus instituendæ prudentiã ad Deos referret. Neq; enim fas esse arbitrabatur qui cæteris beatitudinem uirtute ac prudentia sua largirentur, eos homines nominare, ac nõ Deorũ numero potius habere. Quæ diuinorũ hoĩum dignitas atq; præstantia planior fiet magisq; perspicua, si paulo subtilius de hac ipsa humana beatitudine libeat considerare, de qua pauca strictim attingam. Cum oẽs hoĩs ad summũ hoc bonum natura duce ferantur, omnibus quidem cõe est, ut beati esse uelint; ut uero quid ipsum summum bonum sit, intelligãt, hac re sapiens ab insipiente in primis differt. Hic enim uel in diuitijs uel in honoribus, uel in Imperijs beatitudinem positam putat; quæ neq; in nobis sita sunt; in fortunæ enim atq; in hominum arbitrio uersantur; neq; ipsa sui causa quæruntur, quæ res in summo bono inesse debent. Prudens uero cum hæc animaduertat, aliam rationem de summo bono secum habet. Cum præsertim uideat homines maximis opibus affluentes magna rerum gestarum gloria claros, summa imperia obti-

nentes nihilo tamen minus curis ac solicitudinibus angi atq; cō
fici, quàm ab earum ipsarum rerum summa inopia laborantes.
At summum hominis bonum perfectam quandam rem esse
intelligit, cui nihil desit, quæ nihil cupiat, nihil extrinsecus sibi
asciscat; nullius rei nisi ipsius causa quæratur; contra omnia
ad illud quasi ad finem referantur; nulla deniq; cura, nulla so
licitudine torqueatur, sed tranquillam atq; iucundam ætatem
agat, quam humanam beatitudinē quid aliud dicere possumus,
quàm rectam rationem, ad quam omnis humana actio dirigen
da est, atq; conformanda? Cui cum se homo regendum tradit,
in omnibus rebus eam ducem sequitur, omnibusq; mentis actio
nibus illa moderatur, summum planè humanum bonum est as-
secutus. Isq; uir nulla rapitur impotenti cupiditate, nullo metu
prosternitur, nulla insolenti letitia effertur, nullo frangitur do
lore; sed quandam animi æquitatem in secundis rebus et in ad
uersis adhibet, neminem lædit, neminem circunuenit, nemini
facit iniuriam, opem suam omnibus porrigit; in contractibus
uero atq; hominum commertijs iustitiam, ac fidem tuetur; nul
lam deniq; officij partem in ullo uitæ munere deserit aut præ
termittit, quo fit, ut bellum illud dissidentium perturbationum,
quod in nobis ipsis grauissimum, periculosissimumq; posuimus
rationi obedientes nullo negotio uincant atq; extinguant. Ci-
uiles uero discordiæ, ac seditiones inter Ciues sic affectos om-
nino excitari non possunt. Cuius unius rei nomine, ut nullum
aliud legislatoris in Ciues suos beneficium extet, longe plus il-
li, quàm Imperatori debemus. maiore enim periculo intestinum
bellum quàm externum conflatur, longeq; maiore negotio exci
tatum extinguitur, plures enim urbes, pluraq; imperia a dome
sticis discordijs, quàm ab hostibus & nostra et maiorum æta

te euersa reperimus. In quam rem testem Italiam nostris temporibus citare possumus, quæ misera atq; indignissima seruitute per summum dedecus atq; ignominiam ab exteris nationibus premitur. Neq; enim uel robore, uel fortitudine, uel ingenio, uel animi magnitudine ab exteris uincimur, pluresq; clarissimos belli Duces una Italia nostra ætate tulit, quàm reliquæ omnes simul totius Europe Prouinciæ. Sed ex nostris discordijs gradus Imperij hominibus uirtute inferioribus in Italiam factus est. Belli igitur ciuilis flammam comprimere atq; extinguere cuius tandem uirtutis, cuius ingenij est? longe enim est difficilius, ut mihi quidem uidetur, ciues ab inueteratis odijs ad mutuam beneuolentiam oratione flectere, atq; traducere, ambitionem, regnandiq; cupiditatem ex eorum animis persuadẽdo euellere, quàm hostium impetum uirtute sustinere atq; repellere. Cum præsertim sola fortitudine a reliquis uirtutibus nudata Imperatoris nomen possit obtineri; multiq; clari Imperatores fuerint capitalibus uitijs ac flagitijs inquinati; Ciuiliũ uero tempestatum moderator & hac ipsa fortitudine & modestia præterea, atq; iustitia, reliquarumq; omnium uirtutum consentiente concursu egeat. Externa uero bella ij, qui nihil alienum cupiunt, sed suis rebus contenti sunt, nunquam suscipiunt, neq; alijs negotium exhibent. Cum igitur homines ut rectæ rationi obediant, ac beati sint, uel persuadendo, uel instituendo, quadamq; disciplina, & assuetudine fiat; quam institutionis ac disciplinæ uiam & expeditiorem & certiorem esse demonstrauimus; Huius autem uiæ Duces optimi sint legũ latores, quæ, malum, est tanta ista in humanis iudicijs peruersitas, ut armorum splendore homines capti nõ uereantur legum latoribus aut Imperatores anteponere, aut omnino conferre?

Cum præsertim Imperator ad unam tantam Reipublicæ partem eam quæ ab externis bellis labefactatur, subleuandam accedat, eiusq; auxilium uitæ breuitate non possit esse diuturnũ, uel certe cum maximis innumerabilibusq; detrimentis, quæ supra commemorauimus sit coniunctum; legum uero lator omnes Reipublicæ partes sine ullo detrimento ad multa secula sustentet; atq; huic ipsi parti, quæ ab externis bellis uexatur maiori sit etiam præsidio, quàm Imperator, quippe qui uel sublata de hominum uita cupiditate, ne bella omnino exorirẽtur prouiderit, uel si casu aliquo exorta sint, non possit Imperator, nisi legislatoris opibus instructus exeat ad bellum, hostes superare. Nam cum uictoria militum robore & audacia laborumq; perpessione & obedientia magna ex parte constet; hæc autem a disciplina, diuturnaq; assuetudine & exercitatione habeamus; harum uero rerum legum latores, auctores sint, nõne partæ uictoriæ gloria cum legislatoris laude maxima ex parte cõmunicabitur? Quid quòd Imperatoris præsidium, nisi Ciuitas sit sanctis legibus, optimisq; moribus constituta, non modo nulli utilitati, sed maximo est Vrbibus detrimento. Etenim legibus sublatis magna malorum cohors continuo Vrbem inuadit; fides, continentia, iustitia, æquabilitas, pudor, religio loco cedunt; pro illis perfidia, cupiditas, licentia, iniuria, furta, ambitio, superbia, contumelia, calumnia, periurium, luxuria, flagitia uigent; Deorum uero cultus (id quod caput est omnium malorum) negligitur. Itaq; quemadmodum graui, periculosoq; morbo ægrotanti expedit rebus ad sensum acerbis curari, inimicusq; sit existimandus, si quis precibus ægroti curationis acerbitatem non ferentis adductus medicum accedere prohibeat, sic male de Ciuitate sua mereatur, si quis ab ea turpissi-

ma uitiorum ſeruitute, quaſi morbo grauiſſimo oppreſſa populum a DEO *Optimo* MAXIMO *fortaſſe immiſſum, qui* Ciuitatem *ferro atq; igne ad ſanitatem reuocet, ac ſanctis legibus constituat, arceat atq; repellat. Cum igitur legum gloria tanto interuallo militaribus laudibus ſit ſuperior, quæ reliqua ars, quod ſtudium, quæ profeſſio audeat ſe cum legibus conferre; ac non illis dignitatis primas in omnibus humanis rebus æquo animo concedat? Neminem prorſus puto tantum animi habiturum, aut tantum laboribus ſuis ac ſtudio tributurum, ut illud in pari commendatione cum legum facultate ponat; niſi forte hos ipſos omnium hominum leuiſſimos Philoſophos, qui cum in humanis rebus ita uerſentur, ut nullius profeſſionis opera minoris pretij ſit, in ipſorumq; loquacibus diſputationibus, nihil opis ſit ad humanas res tractandas atq; regendas, ea tamen ſunt impudentia & arrogantia, ut non modo in legum latorum gloriæ ſocietatem uenire nõ erubeſcant, ſed etiã ſe illis audeant præferre, cum dicant legum latores, leges quas tulerunt, ad naturæ normam direxiſſe, atq; e naturæ fontibus hauiſſe; Naturæ uaro rationem, ac uim Philoſophos nobis explicuiſſe; Quo fieri ut Philoſophi legum conditoribus ad leges ferendas lumen prætulerint. quo lumine legum latores deſerti, quid ſequerentur habituros nõ fuiſſe, ut huius ipſius legum utilitatis, quam gloria ad cœlum extollimus, ſe parentes atq; auctores faciant. qua re quid dici poteſt aut loquacius, aut ſtultius, aut mendacius? Nam primum quem legislatorum accepimus in legibus ferendis Philoſophos conſuluiſſe? Cum præclari illi uiri, quos leges tuliſſe memoriæ proditum eſt, quales fuerunt* MINOS, LYCURGUS, CHARONDAS, *ac reliqui innumerabiles multis ante ſeculis fuerint, quàm philoſophi extiterint?*

(Eos nunc Philosophos dico, qui de rebus cœlestibus ac naturæ causis artem quandam instituerunt) multisq; iam & infinitis penè ætatibus orbis terrarum, humanæq; res essent constitutæ, quàm Philosophorum disputationes ad quosquam peruenissent. quin etiam recentioribus temporibus cum Gymnasia Philosophorum ab hominibus iam celebrarentur, multi populi essent, qui optimis legibus atq; institutis uiuerent, apud quos ne nomen quidem Philosophorum unquam esset auditum. Deinde quod lumen præferre possunt res naturæ, ut de illis Philosophi disputant, hominibus in legibus condendis? Quid enim prodest ad leges ferendas & res humanas constituendas intelligere quæ sint naturaliũ rerum principia & elementa? Ex igne ne an ex atomis, an ex similibus inter se partibus, an ex discordia cõstent? quæ sit materiæ ratio, quæ priuationis, quæ formæ? Cœli conuersiones hæc ne an illa causa moderetur? An cœlũ ipsum sit eiusdem formæ, cuius hæc inferiora? Aeternus ne an interiturus sit mundus? Quæ sit animorũ natura? Vtrũ extrinsecus corporibus aduenìant, an ex ipsamet materia excudantur? Quæ sit eorum, quæ in sublimi fiunt causa, ac ratio? Quid uentos atq; imbres gignat? unde flumina oriantur? unde terræ motus excitetur? Vtrum uisus formas aduenientes excipiat, an ipse in obiectas species agat? in has atq; alias eiusmodi infinitas res, quarum nulla apud illos cõstat; sed de singulis est summa dissensio, intuenti quod tandem lumen præfertur, aut quæ tandem uia sternitur ad leges ferendas, ad mores hominum formandos, ad Ciues ad tranquillam ac beatam uitam instituendos? Hoc ita absurdum est, ita ab omni ratione alienũ, ut cogitationis ipsius uim effugiat. Qui uero, quod lumen præferatur, quæ ue uia muniatur, quæro, ac non potius, quæ tene-

bræ offundantur, quæ ue uia obsepiatur? cum id Aristotelis ipsius testimonio confirmare possim, qui dicat uehementi uniuersarum rerum studio, curiosáq; illa rerum cœlestium ac naturalium inuestigatione ingenia hominum a rebus gerendis paulatim abduci; quóq; in rebus naturæ mentem & cogitationem acrius defigunt, eò inhabiliores homines fieri ad res humanas tractandas & administrandas. Quid ergo? nihil ne rerum naturam considerarunt legum latores? Considerarunt quidem & in oculis habuerunt, sed non uestra deliramenta, non uestra ista somnia. At quam tandem? Hominum naturã atq; ingenia spectarunt, eorum appetitus, cupiditates, propensiones, studia diligẽter animaduerterunt, ad easq; res cohibẽdas, regendas, moderandas, hominum animos ad uirtutem & ad præclara facinora excitandos et inflammandos leges accommodarunt. Quin etiam Regionum naturam, quæ in humanis ingenijs, & qualia ea sint, plurimum momenti habet, non neglexerunt; sed ut bonus agricola ad uarias soli naturas, arborumq; dissimilitudines colendi rationem uariat, ita prudentes legum latores ad humanorum ingeniorum ac regionum uarietatem leges accommodarunt; ut aliæ apud alios populos sint; quodq; apud hos iustũ est, ac summa cum ratione præscriptũ, atq; homines in ea regione natos in pace & officio continet, idem si ad alios populos transferatur, omnem ciuilem societatem euertat. Vt enim alium cultum postulant loca cliuosa & montana, alium campestria & plana, alium læta & pinguia, alium macra & exilia, alium palustria & uliginosa, alium sicca & arida, alium nitida, alium fructicosa; ad uariaq; soli ingenia uaria colendi ratio est adhibenda; ita leges pro locorũ & ingeniorum dissimilitudine sunt uariandæ, ut aliæ leges

ad populos, qui loca aspera & saxosa, aliæ ad eos, qui plana & mitia incolunt, sint adhibendæ, aliæ populis maritimis & insulanis, aliæ mediterraneis conueniãt; alijsq; institutis & moribus ij, qui feraces regiones, alijs ij, qui steriles insederunt, sint moderandi; siquidem cœli, ac regionum uarietas, uarias quoq; hominum naturas ferre solet, ut alijs in locis miti, in alijs feroci ingenio homines nascantur; quin etiam finitimi populi prudenti legumlatori circunspiciendi sunt, utrũ pacis cultores ac suo contenti an bellaces et alieni appetentes sint. Neq; uero uetera instituta, inueteratiq; mores & usus, quibus ad eam diem uixit populus, quem legibus formare uelis, sunt negligendi, sed diligenter perpendendi; quos si tanq; prauos uelis immutare, non semper sunt ita tollendi ut nullum iam appareat eorum uestigium, neq; homines ijs assuefacti ab ijs subito sunt auellendi, quòd tantam ac tam subito mutationem hominũ animi uix ferre possint, sed alias res simulando, quæ a ueteribus institutis specie non abhorreant leniter ac paulatim quò uelis sunt traducendi, quodq; aperte persuadere non potes, id artificio est assequendum. multaq; præterea, quæ neq; iusta, neq; honesta per se sint, legibus interdum sunt inducenda, non quòd illa probes, sed ad minima malorum. quod Solonẽ & Lycurgum uiros sapientissimos ac sanctissimos fecisse accepimus, quorum alter ad ordinum concordiam Athenis conciliandam, omne æs alienum, quo tum tenuiores maxime premebantur, ac potentioribus tanq; in seruitutem addicti erant, sustulit, ac tabulas nouas induxit, alter ueteribus dominis agros & fundos ademit, eosq; uiritim ciuibus Lacædemonijs æquis portionibus diuisit. Iam uero aliorum sapientium uirorum leges, quorum laus in hac re maxime celebratur sunt cognoscendæ, ex ijsq;

eripiendum, quod ad usus tuos possis accommodare, ut eundē uirum clarissimum Lycurgum fecisse memoriæ proditum est, qui legum cognoscendarum causa, quas Minos condiderat in Cretam est profectus. Hæc est illa rerum natura, quæ prudē ti Legumlatori in oculis esse debet; eiusmodi res secum animo & meditatione debet agitare, ac sæpe uersare. Ventorum uero gignendorum, aut imbris & fulgurum cœlestiumq; conuersionum cognitio, quem tandem usum, aut quam opis partem habet in legibus ferendis ac populis ad uirtutem fingendis? At fortasse dicent se disputationibus suis, quæ sunt de moribus, ac de legibus ferendis Rebusq; publicis formandis legumlatoribus opem ac lumen præbere. Quibus tandem legum latoribus præsto fuerunt? Soloni ne, an Lycurgo, an Minoi, an Charōdæ, an Numæ Pompilio, an cuiq; alij? Quem clarorum hominū, legimus hoc genus hominum, quorum loquacitas semper Gymnasij finibus terminata nunq; ad usus ciuiles est translata, in legibus ferendis consuluisse? At a quibus disputationibus hanc opem peterent legum latores? a quæstionibus ne de moribus ac uirtutibus? At illæ quales sint, quamq; inutiles paulo antea uidimus. A commentitijs ne legibus? at illæ ridiculæ planè sunt, & ab usu hominum abhorrent. quis enim Platonis somnia ferat de rerum communione, de promiscuis nuptijs, de uirilibus muneribus cum fœminis communicatis? Aristotelis uero legem, quæ turpissimum præposteræ ueneris usum cum uxoribus ad sobolis multitudinem cohibendam permisit, quis non execretur? Iam uero an non magno est argumento, neq; legum latores ad leges condendas, neq; ullos ciuiles uiros ad Rempubicam administrandam a Philosophorum disputationibus quicq; adiumenti unquam habuisse, cum audiat Philosophos e pluribus ci

uitatibus atq; prouincijs a Regibus & liberis populis sæpe fuiße expulsos. Nam ut omittam humanarum rerum arbitros & moderatores Romanos, quorum auctoritas debet eße grauissima, et uiros item sanctissimos Lacædemonios, a quibus Philosophos e ciuitatibns exactos fuiße supra retulimus; an nō idem aliquando fecerunt Athenienses ipsi, apud quos hoc ipsum studium, quod philosophiam uocant, & natum & altū & auctum et perfectum est? An grauius ullum potest contra illos eße testimonium, quàm hoc quod ipsa eorum Patria illis aliquando dedit? Age sapientissimorum Principum testimonia quoq; & edicta adscribamus, ut hoc quoq; gladio illos confodiamus. Recita uero epistolam Antiochi Regis ad Phaniam Prouinciæ Præfectum.

Antiochus Rex Phaniæ. Scripsimus ad te antea, ne quem Philosophum in Ciuitate aut Prouincia sineres eße. audiuimus autem non paucos eorum adhuc commorari ad iuuentutis perniciem, quod ideo accidit, quòd tu ea quæ de ijs scripseramus, neglexisti. Quapropter cum primum has nostras literas acceperis, edictum proponito, ut Philosophi isti de locis omnibus ditionis nostræ actutum descedant; quicunq; uero iuuenū cū ijs consuetudinem habere inuenti fuerint, suspendantur. eaq; res patribus ēt pro filijs fraudi erit. Ea omnia curabis ne secus fiant atq; iussimus.

Capitali supplicio afficit Princeps prudentissimus cum iuuentutis ac morum corruptoribus usum habentes, quod idem fecisse Lysimachum memoriæ proditum est. Sed quid ego occupatus sum in demostrando ad mores hominum formandos legislatores a Philosophis eruditos non fuisse, Cum potius contra apertissime possim Philosophos ostendere disputationes suas

de moribus a legibus hauiße, quod non longa oratione ſed uno uerbo facio; quodq; mihi ab Ariſtotile ipſo datũ accipio. fatetur enim in librorum ethicorum initio iuſtas & honeſtas res legibus potius eſſe, q̃ natura; itaq; ſuas ſe de illis diſputationes & argumenta a moribus hominum, qui a legibus profecti ſint ducturum; ut aperte appareat, quid ſit uirtus, quid uitium, quid honeſtum, quid turpe, quid in laude, quid in uituperatione ponendum ſit, Philoſophos a legibus primum accepiſſe; deinde loquaces de ijs rebus quæſtiões ac diſputationes inſtituiße. Neq; enim cur iuſtitia uirtus ſit, cur contra iniuſtitia uitium Ariſtoteles docet, ſed a legibus, hominumq; moribus præſcriptum & demonſtratum accipit. Ipſe enim Paulus dicit, quid peccatum eßet omnino neſciebam, niſi lex prohibendo me docuiſſet illud. Neq; nunc Pauli uocem pro Diuina auctoritate Philoſophis oppono, ſed tanq̃ ſapientis alicuius uiri teſtimonio utor, ut quod ille dixit, libere poſſit refelli. Quod ſi Philoſophos legum latores uocare libet, non magnopere pugno; imo uero uobis uehementer aßentior; quin etiam tales uiros non modo Philoſophos, hoc eſt ſapientiæ amatores, ſed planè ſapientes fuiße ſtatuo. Sed quæro ex uobis utrum ex ueſtro genere fuerint, an ex alio? ſi ex alio nihil eſt, quòd ſimilitudine tantum nominis, in cuius poſſeſſionem, alijs ijsq; iuſtis poßeſſoribus exturbatis ſenſim ſoli irrepſeritis, alienam laudem uobis aßumatis, aut omnino uobiſcum communicetis. Si ex ueſtro, quæ ſuperius dicta ſunt, ſufficiant ad reſponſionem. Itaq; Philoſophis a legum ferendarum gloria excluſis ad legum et legis latorum laudes reuertamur. De quibus & ſi multa atq; adeo innumerabilia dici poßent, tamẽ nihil magnopere eſt, quòd plura addamus. nam & modus aliquis orationi eſt faciendus;

neq; nobis tam leges laudare est propositum quàm ius Ciuile Philosophis anteferre. Illud tamen quod Demosthenes in oratione contra Aristogitonem ad legum gloriam extollendam dixit, silentio præterire non possum. Non enim hominum inuentum leges, sed donum Deorum esse affirmat. Et hercule cum maiora nos penè beneficia a legibus, quàm a natura habere clarissimus orator, idemq; uir sapientissimus demonstret, quippe quod natura homines uehementissimo cupiditatum æstu rapiantur & constricti ducantur, leges uero ijs ipsis cupiditatibus quibus homines præcipites aguntur, coercendis atq; frenãdis hominum naturam per se ad uitia pronam regant, ac dirigant et ad uirtutem flectant, an non iure legum auctores inter Deos referantur? an cuiq; Diuini honores rectius decernentur, quàm ijs uiris, qui ex hominum animis immanitate detracta illos ad humanitatem finxerunt? An non maiora in nos legum latorum quàm ipsius penè naturæ merita constant, cũ illa sensibus, cupiditatibus, motibus in nobis gignendis, ratione uero a nullis legibus excitata ad illos frenandos, ac moderãdos nõ satis per se potente animalia tantummodo nos creasse sit existimanda, legislatores uero humanitate nobis addita, homines nos fecisse sit dicendum? ò hominum uitæ Duces legislatores. O de cœlo ad res humanas constituendas homines uere delapsi, si uos homines fas est appellare, ac nõ potius tanquam numina sanctissima colere ac uenerari. Vos homines in syluis prius errantes ac dissipatos in Vrbem compulsos legum, iuris, officiorum, consuetudinis societate deuincitis; Vos illos feritate detracta ad humanitatem fingitis; Vos unicuiq; agros assignatis, atq; ut suo contenti sint homines docetis; Vos ciuitatem in ordines describitis, magistratus creatis; militarẽ

disciplinam formatis; sua unicuiq; munera colenda tribuitis; Vos insanas hominum cupiditates cohibetis, omnesq; uestro imperio in officio continetis; Vos de Ciuitatibus rixas, contentiones, discordias expellitis, ac pacem & tranquillitatem conciliatis & conciliatam tuemini; Vos tenuioribus ne a potentioribus opprimantur iuris æquabilitate, præsidio estis, multitudinisq; seditiones, ne rerum statum perturbent, comprimitis; uestris præceptis homines instructi & a pueris imbuti pro Patria ac pro iustitia animam profundere non dubitant; Vos, quid sit uirtus, quid item uitium, quid sequendum ac fugiendũ sit, hominibus præscribitis; Vos ad beatam uitam Duces estis, soliq; iter commonstratis atq; expeditis. Vos qui cultus, quæ pietas, quæ religio Dijs immortalibus sit adhibenda, quibus precibus eorum numen sit placandum, nobisq; propitium reddendum, quo honore parentes sint habendi, qua charitate Patria sit amplectenda; quæ deniq; in omnes officia sint nobis exequẽda, nos docetis, Sed dicant fortasse Philosophi iniuste nos facere, qui cum inter ipsos et Iurisconsultos comparationẽ suscepimus. alienis laudibus Iurisconsultorum studium commendemus, eamq; gloriam cum illis communicemus, quæ ipsis nullo modo conueniat, permagnamq; esse inter legumlatorem & Iurisconsultum differentiam, eamq; cum ex Iurisconsulti officio, tum ex ijs rebus, quas paulo superius disseruimus, si nobis ipsi constare uolumus, liquido apparere. Nam quæ aliæ sunt Iurisconsulti partes, quàm leges interpretari, quidq; illæ præcipiant, consulentibus respondere? Etenim ut dent nobis legislatorem præstantissima quadam ingenij ui, diuinaq; mentis acie omnia humana prouidere, nullamq; esse Reipublicæ partem, quam ipse non constituat, omnesq; res siue bellicæ, siue

domesticæ,

domesticæ, siue forenses, siue rusticæ, siue urbanæ eius præscripto regi, quin etiam ciues Sanctis moribus ab illo formari, ad beatamq; uitam perduci, ut paulo ante diximus, cum legislatoris utilitates collegissemus ac iurę fortasse fieri concedant, ut nullius hominis, quanuis summa & singularia merita ad legis latoris gloriam possint aspirare; ipsumq; Numinis cuiusdam maiestatem apud homines obtinere non negent, quippe qui post Deum Opt. Max. beatitudinis auctor, ut nostra colligebat oratio, existat; quærent quæ tandem pars tantarum laudum Iurisconsulto debeatur; cuius omnis est opera in præclaris diuinisq; legislatoris inuẽtis ijs hominibus, qui ea ignorãt, exponendis? Non maior me herculè, quàm probo alicui uiro, qui cum prelio interfuisset, Ciuitati renuntiet eximia Imperatoris uirtute hostes magna & periculosa pugna superatos, exercitum deletum, Duces & ciuitatem hostium in potestatẽ nostram uenisse; atq; hoc solo nuntio, quòd magnum sè laborem cepisse dicat in rebus ab Imperatore gestis ordine cognoscendis, itinereq; faciẽdo, Imperatoris gloriæ se socium faciat; sibiq; triumphum una decerni postulet. An non hunc omnes iure irrideant? Haud dissimilem sanè esse iuris hunc nostrum consultum, qui legum præscripto edendo ac pronuntiando, quanuis diuturno studio, plurimoq; labore leges perdidicerit, in legislatoris gloriæ societatem uelit irrepere. Quod si suscipiatur, diuini poetæ ingenio histrionem parem faciamus licet, qui quod ille diuinitus penè inuenit, ac scripsit, ipse populo, gestu, ac uoce edat. Quàm asperis adolescentes ijs utimur? quanto laudis iurisconsultorum eleuandæ studio prouehuntur; quàm ad nihilũ eorum industriam penè perducunt, qui non dubitent eos precones quosdam ac meros recitatores legum facere; nihilq; eorũ

ingenio in hac legum ſcientia plus tribuant, nullam deniq; illis operæ aut opportunitatis partem præterea relinquant, quàm ut memoriter leges nobis decantitent? ac tabularũ penè uſum duntaxat & indicum ex ſe præbeant? Quod ſi ita eſt, haud ſanè in magno pretio ſunt habendi Iuriſconſulti; neq; ulla cauſa eſt, cur ingenui adoleſcentes tanta diligentia, tantaq; opera huic ſtudio ſeſe dedant. At qui legimus apud Romanos in magno honore Iurisconſultos, quos iſti deſpiciunt, ſemper fuiſſe, illorumq; ſtudium, ut rem militarem et eloquentiam ad conſulatum uiam munire ſolitum, omnibusq; deinde ætatibus apud omnes ferè populos ad ſummos honores aſſequendos magnam ſemper fuiſſe iuris ciuilis ſcientiæ commendationem. Quin etiã Plato, quem diuinum uocant, in ſua illa Reipublica formanda uiris nobilibus, quibus totam Rempublicam adminiſtrandam permittit; duas artes attribuit, Rei militaris & iudiciorum, hoc eſt iuris ciuilis ſcientiam, in ijs Iuuentutem exerceri uult. Quæ res uirum ſummo ingenio eximiaq; doctrina Xenophontẽ nequaquam latuit, qui cum Perſarum inſtitutorum commentitia ſimilitudine, perfectæ educationis ſpeciem nobis tradere contenderet; pueros apud Perſas in controuerſiis iudicandis exerceri ſolitos ſcribit. Itaq; & Romanorum & cæterorũ populorum, omniumq; ferè ætatum & Platonis ipſius, ac Xenophontis iudicium improbandum eſt, ſi quidem non plus eſt in iurisconſulto, quàm iſti illi tribuerunt. Sed dicent ſe auctoritatem nihili facere, ac ratione tantum ſe poſſe de ſententia deijci. Quare illis exponamus, quid amplius Iuriſconſulti ars efficere tandem poſſit, quàm illi eſt ab ipſis tributum; Ipſa enim uerbi uis planum facere uidetur nihil eſſe Iuriſconſultũ quàm eum hominem, qui de iure conſulitur; ideſt a quo peti-

tur, ut exponat, quid in re de qua consulitur ius præscribat. At hoc ius in legibus est perscriptum. Neq; enim de suo capite quicquam ille respondere potest, quod non sit in legibus. Cohibite orationem, exponam enim Iurisconsulti officium, atq; ita exponam, ut ostensurum me sperem Iurisconsultum hunc, cuius uos operam tam parui facitis, non longe a legislatoris gloria abesse. Neque enim Iurisconsultus est legum recitator duntaxat, sed interpres præterea & explanator; ut sine illo præclara illa legislatoris præcepta & inuenta, legesq́; ipsæ mutæ penè sint, nulliusq́; usus. Nam cum legis lator quanuis diuino ingenio uir singulas res, quæ in homninum controuersiam casuræ essent, legibus & præceptis complecti non potuerit, quippe quæ infinitæ essent, sed capita tantum quædam posuerit, ad quæ iudicia dirigantur, efficitur, ut ius, quod in pauculis illis legum capitibus latet, hominibus sit obscurũ, neq; facile ad innumeras controuersiarum species, quæ quotidie exoriuntur, accommodari a quouis homine possit; quæ res iurisconsultos creauit; qui cum omnia, quæ a legum latoribus tradita sint diligenter cognouerint atq; perceperint, eaq́; diuturna commentatione animo secum agitauerint; mentemq́; bene penitus in eam cogitationem iniecerint, atq; defixerint, eã tandem facultatem assequãtur, ut quid in quaq; re ius sit liquido respondeãt, non quòd ius illud in legibus sit perscriptum, sed quòd ex legis latoris mente illud eliciant; idemq́; statuturus fuerit legis lator si ea causa ad illum fuisset delata. Quo fit ut optimi, clariq; Iurisconsulti, quorum semper ut cæterarum præclararum rerum summa paucitas fuit, mentem quandam & ingenium legis latorum imbuerint, alteriq; penè legis latores facti sint, legisq́; cuiusdam uiuæ usum habeant. Quæ

nostra ratio summorum ac sapientissimorum Principum auctoritate & decretis confirmatur. Qui cum ueterum iurisconsultorum responsa collegißent, in librosq́; digessissent, auctoritatem ijs legum tribuerunt; leges uero ipsas induxerunt & deleuerunt. Nam per Deos immortales, qui usus, quod præsidium eße possit in capite illo legum XII. tabularum, quod ad hæreditates pertinet. VT QVISQVE REI SVAE LEGASSIT ITA IVS ESTO. Cum tot, tamq́; innumeræ controuersiarum species, tam inter se uariæ de hæreditatibus inter homines quotidie exoriantur, ad quas dijudicandas inutile planè sit exile illud & ieiunum legum XII. tabularum caput. Itaq; adhibenda fuerunt splendida Iuriscōsultorum ingenia, qui uarijs & copiosis disputationibus infinitisq́; ferè responsis lumen afferrent, iusq; ipsum e tenebris educerent, & in aperta luce collocarent, ut, quod semel dixi, ipsi legis latores fuisse uideantur. A quibus summis & præclaris uiris nullam dissimilitudinem habent nostrorum temporū Iurisconsulti, qui in hac scientia clari euaserunt; Bartoli inquā & Baldi nostri, cæteriq́; quorum nomen clarum est. Neq; enim aut arte, aut ingenio, aut rerum copia, aut subtilitate disputandi illis inferiores fuerunt, quanuis seculorum uitio paulo rudiore, magisq́; incondito scribendi genere res suas literis mandauerint. Illud tantum ipsis deest, quòd ipsorum disputationibus uis legum nondum est attributa, quemadmodum ueteribus, quod aliquando fortasse fiet, cum tamen interea præclara eorum scripta auctoritatem legum in iudicijs obtineant. Neq; enim quod consentiens nostrorum Iuris interpretum statuit opinio, aut uero unus aliquis ex clarioribus confirmauit, ab eo temere iudices discedunt. Sed dicent, Vt uera omnia

ſint, quæ in Iuriscõſultos ornandos contulimus, parq; eorum, ac legislatorum laus ſit, tota tamen hæc gloria foro & rebus iudiciarijs terminari. Itaq; illos in hac Reipublicæ parte, quæ ad ciuiles controuerſias, atq; iudicia pertinet (quoniam ita uolumus) legislatoribus æquari fortaſſe patientur; ſed quantula tandem pars operæ eſt hæc præ legislatoris innumeris meritis? quorum uirtute & ſapientia, cœleſtisq; propè ingenij acie omnes Reipublicæ partes conſtitutas, mores hominum ſanctè formatos, ad beatam uitam iter expeditum eſſe nos ipſi diximus? nullamq; rem eſſe de Ciuilibus, ſiue illa magna, ſiue minima ſiue urbana, ſiue bellica ſit, cui legislator nõ moderetur? Itaq; par ſit ſane in iudicijs iuriſconſultorum & legislatorũ commendatio, atq; etiam ſi eſſe poteſt maior iuriſconſultorum, modo illud demus, quod negare non poſſumus, ſi conſtanter facere uolumus, illam rebus forenſibus totam circunſcribi, quò fit ut innumerabilibus partibus legislator iuriſcanſultum dignitate anteeat. Sed ſit ita ſanè; quid enim hoc ipſis non gratificemur? Iuriſq; conſultum rebus duntaxat forenſibus moderandis, controuerſijsq; ciuilibus dijudicandis, ac maleficijs coercendis præficiamus, atq; iccirco legislatori de dignitate et præſtantia concedat; num igitur efficitur illum Imperatore uel quoq; alio inferiorem eſſe? nam Philoſopho me pudet dicere, magnamq; iniuriam Iuriſconſultis ne facere puto, illis cum tã leui hominum genere comparandis. Nam quod tandem eſt Imperatoris præcipuum munus, cuius colendi cauſa ſit ille inuentus? nullum aliud ſanè, quàm uim hoſtium a finibus arcere, atq; externa bella repellere, ut tranquillam uitam traducere, rebusq; noſtris tutò frui poſſimus. Hoc puto rei militari in primis propoſitum eſſe. Sed quæſo an non inanis fuerit hic Impe

ratoris labor nisi bella domestica prius e Ciuitate sint expulsa? quæ tanto sunt externis grauiora & periculosiora, ut plures Vrbes, pluraq; imperia a ciuilibus dissensionibus, intestinisq; discordijs, quàm ab externis bellis sint euersa ac deleta. Illud quidem certe negare non possumus ciuiles discordias, domesticasq; dissensiones hoc esse externis bellis capitaliores, quod nunquam nisi cum summo Ciuitatis detrimento atq; pernitie conflantur atq; excitantur; cum externa bella ciuitatibus sæpe sint utilia, idq; dupliciter uel quod externæ nationes & prouinciæ imperio, ac ditioni nostræ adiunguntur, cui rei testimonio sunt Romani, qui semper ex illis creuerunt, finesq; imperij sui orbe terrarũ terminaruut; uel quòd Iuuentutê nostrã in bello ac laboribus exercentes facilius eam in officio continemus, atq; ab urbano luxu & otio reuocamus. Tanti igitur periculi rem tantæq; pernitiei atq; exitij, ut est ciuium discordia, quis alius prohibet, quàm Iurisconsulti opera et industria? qui maleficis hominibus puniendis, pœnaq; coercendis; quod suum est, unicuiq; reddendo, ui & iniuria ciuium inter se repellendo; quibus muneribus omissis aut negligenter administratis, ne puncto quidem temporis ciuium concordia hærere possit, æquabili iustitiæ norma omnes ciues in officio continet. Cũ igitur ciuitatum salutis duæ artes præsides sint, Iudicialis & militiaris; alteriq; Iurisconsultus; alteri Imperator moderetur, non uideo cur non sit Iurisconsultus anteferẽdus, qui periculosiorẽ partem regat, atq; constituat? Quòd si quisquã respõdeat, omnium ætatum, omniumq; populorum consentientem auctoritatem plurimum momenti habere debere, in rebus præsertim ciuilibus, quæ auctoritate in primis nitantur, Quis autem ignorat apud omnes populos dignitatis primas Imperato-

ribus ſemper fuiſſe delatas? uel Romæ ubi maiore ſemper in pretio fuerunt iuriſcōſulti, quàm uel in Græcia, uel apud quoſ=uis alios, an non tantum tribuebatur rei militari, ut belli admi niſtrandi munus conſulibus mandaretur, Cum iuri dicundo rebusq́; forenſibus unus ex Prætoribus præficeretur? Quin ēt popularis eſt habita ea oratio, iuris & dicendi conſultos domi retinendos foróq́; præficiendos. In militaribus enim tantum uiris ingenia eſſe conſularia. Illud ad Romanorum & cæte rarum nationum auctoritatem reſpondebo, conſuetudinē hāc magis ſuſpiciendi Imperatores, quàm Iuriſconſultos non re=ctæ rationis eſſe, ſed humanæ ambitionis, cupiditatisq́; cuiuſ=dam in hominibus inſitæ aliena rapiēdi, quæ res Imperatores, qui ad eam rem Duces ſunt, præ cæteris hominibus commen=dat. Sed in rebus ponderandis rationum momenta eſſe perpē denda. ſed non eſt nobis nunc illud propoſitum ut Imperatorē & Iurisconſultum inter ſe comparemus. Itaq; ad Philoſophos reuertor, ac finem tandem facio. Cum quibus uiris rem ſi=bi eſſe arbitrantur, quibus ſe ſperent perſuadere, cum omnis prorſus ſapiētiæ expertes ſint, ſapientiæ ſe antiſtites eſſe? qua ſi uero nominum inania (ut ita dixerim) inſignia, ac non res ip ſæ ſint ſpectādæ. Quid uero inter iſtos ac Mimos intereſt? quod genus hominum cum ſit obſcuriſſimum atq; humillium, quis nō rideat, ſi tumidos eos, atq; inflatos uideat incedere, ſeq́; Reges exiſtimare, quod in trgoedijs recitandis nomen, perſonam, ha bitum, orationem Regum ſuſtineant? Vobisne homines leuiſſi mi mentitum nomen ſpiritus facit? Vos ne nominis tantum cō mendatione ſapientiam uobis uindicatis? Vos ne quicunq; eius participes ſunt, eos à uobis eam partem, in qua uerſan=tur, accepiſſe prædicatis? Itaq; quando tandem ineptiarum ſi

nem facietis? quando inani studio relicto uos uel ad ius Ciuile, uel ad aliquod studium, quo hominibus prodesse possitis, uos conuertetis? quando rem potius; quam uocabula spectabitis? Nunquam opinor, Perspectam habeo leuitatis plenam ambitionem uestram; scio uos nominis splendore captos, Quid.n. mereatis ut Philosophi uocari desinatis? Demus hoc illis Adolescentes. Etenim stultis etiam et furiosis permittere solemus, ut se sapientissimos uocent; quin etiam illorum stultiam illis sapientibus appellandis adiuuamus. Etiam pueri pulchros se ac sapientes uocari gestiunt. Non multum ab hac ratione Philosophi abhorrent. Quare haud grauate concedamus illis ut se sapientissimos, doctissimos, Deos deniq; appellent. Nos interea in studio nostro cæptum iter teneamus, institutamq; diligentiam, si fieri potest augeamus, ut Parentes nostri, fratres, cognati qui nos auide Domi expectant, cum ad illos reuersi fuerimus, intelligant summum in nobis et sibi & amicis præsidiū; generi & familiæ splendorem; Patriæ ornamentum esse constitutum.

Hic cum puer legendi finem fecisset, sighicellum Moronus orauit, ut quemadmodum in prima orationis parte fecisset, ita in hac quæ ipsi reprehendenda uisa essent, ea omissis ambagibus improbaret. Tum ille mos gerendus est (inquit) quoniam auctoritate tua omnem mihi excausationem præcidis; neq; integrum iam uideo recusare. quod libenter facerem, ne rursus tam uehementum Antonium in me excitarem, qui mihi in superiore disputatione studio & ardore in Philosophis insectandis Sfondrato ipsi penè præire uisus est. Neq; tamen in hac secunda parte ulla causa est, cur tam longus sim quàm in prima fui. Duo tantum aut summum tria attingam apertissime reprehen

sioni

ſioni obiecta. Quorum illud primum eſt, nihil fieri potuiſſe in iuſtius, quã Philoſophos a publicis muneribus omnino excludere, quorum tam multa ſint, tamq́; eximia ad Reſpublicas cõſtituendas, ad leges ferendas, ad omnes officij partes in omni uitæ genere tuendas. An uobis parum adiumenti uidetur in ijs Ariſtotelis libris, qui Politici inſcribuntur ad Ciuitatem optimis legibus & inſtitutis conformandam? qui cum multorum temporum, multarumq́; ciuitatum ac populorum leges, mores, inſtituta collegerit, ac diligentiſſime perpẽderit; quid in unaquaque uitij ſit uir ſummo ingenio oſtẽderit; deinde docuerit, quæ ſit optima forma Reipublicæ; quibus partibus conſtet; quod ſit cuiuſq; ciuis munus, multaq́; eius generis in illis libris quæſierit & diſputauerit, quæ ſi quis cognouerit, is erit mea ſententia aliquanto peritior in legibus ferendis cæteraq́; publica munera præclarius & ſcientius ut opinor adminiſtrabit, quàm qui eius lectionis expers, ingenijq́; tantummodo uiribus fretus (quod maxima pars hominum facit) ad Rempublicam temere acceſſerit. Quid de tot libris Platonis diuinitus ferè ſcriptis dicam? in quibus de omnibus rebus, quæ in uſum hominum et in ciuilem conſuetudinem uenire poſſunt diligentiſſime quæritur? an hæc omnia parum præſidij habere uidentur ad homines erudiendos, atq; ad ciuiles res adminiſtrandas aptiores reddendos? Equidem ſic ſtatuo, ſi quis hoc negauerit eum uel nunquam eos libros in manus ſumpſiſſe; uel ſenſu omnino carere; ingenioq́; inhumano eſſe planeq́; ſtupido. quos tamen cõburamus omnes licet, quomodo de omnibus Philoſophorum quæſtionibus & diſputationibus Sfondratus loquutus eſt. Qui cum hæc quæ dixi uidiſſet, intelligeretq́; cauſam ſuam ea re maxime premi, Ciceronis præcepto uſus eſt, boni oratoris

esse ea, quæ sanari non poßunt, non exulcerare, itaq; totũ hũc locum omisit; atq; ea solum, quæ in ijs libris qui Ethicorum inscribuntur, continentur, ad inuidiam arripuit; in quibus de ijs tantummodo rebus quæ sub nullum usum cadunt, ideſt de uniuersis quæri, idq; loquaciter dixit, quod ipsum tamen cuiusmodi sit, alius meditata (ut dixi) oratione per otium fortasse oſtẽdet. Nam mihi nunc tantum illud propositum eſt, ut loca quædam oſtendam. Neq; enim magni negotij puto, aut magni laboris rem fore, quæ Sfondratus nimis aspere atq; acerbe in eos libros inflixit, refellere; docereq; quanta uis ex uniuersis illis rebus, quas Sfondratus (si Dijs placet) irrisit, ludibrioq; ferè oratione sua habuit, influere poſſit singularibus rebus, quæ in actionem ueniunt. In eodem silentio iacuit Dialectica, in quo Sfondrati rationem nequeo satis mirari, qui cum in reliquas duas Philosophiæ partes & eam quæ ad naturæ rerũ causas inueſtigandas & eam, quæ ad mores hominum pertinet, tanta uerborum contentione sit inuectus, hanc tertiam omnino non attigerit. Nam quod fuit eius consilium? An idẽ quo Politicam quoq; maxima ex parte prætermisit, quòd eam partem se euertere poße diffideret. At non eam uideor agnoscere in Sfondrato timiditatem, ut qui duas illas grauiſſimas partes, longeq; firmiſſimas profligare se poße confiderit; de illisq; munitiſſimis arcibus (ut ipse appellabat) Philosophos precipites se deiecturum sperarit, in hanc nequaquam maioribus præsidijs firmatam inuadere formidarit. Itaq; oblitum illum planè puto. nam si in mentem ea res homini uenißet, nunquam illum puto omißurum fuiſſe, atq; qua ille eſt confidentia, ut nihil docuit se uereri, ut eſt ingenio sibi ipsi nimiũ fortaſſe præfidenti; easdem ſtrages edere in hac quoq; parte aggreſſus

fuisset, quas in cæteris se fecisse gloriatus est. Nisi forte hāc artem ipse quoq; probat. quod potius credo; ut est acutissimo ingenio uir. Idq; si ita est, nescio utrum sit homini a Philosophis habenda gratia; an ægre ferendum. Nam quod unum hunc locum quanuis perexiguum Philosophis reliquerit, in quo saltem beneficio suo consisterent, magna est habenda sanè gratia. etenim si libuisset, de hac quoq; possessione eloquentia sua illos exturbasset, quod uero eius rei quam ipse probat, cuius inuentores Philosophi fuerint, omnem mentionem omiserit; ne hac saltem commendatione eos a summo hominum despectu atq; contemptione liberaret; inuidiæ cuiusdam uidetur fuisse sanè reprehendēdæ; ut non tantum Philosophis tribuere uideatur eam artem probando, quàm illis eam ipsam artem detrahere reticendo. Nisi forte pertimuit, ne si Philosophos in ea re laudasset, adolescentes a ciuili iure ad hanc saltem Philosophiæ partem traduceret. quod tamen nequaquam satis est ad excusationem. Nam in Dialectica perdiscenda non modo nihil operæ detrahitur aut temporis iuri ciuili, aut uero alicui arti, atq; studio, in quo homines sibi elaborandum statuant, uerum etiā ad omnes doctrinas acquirendas, maxima ab ea habemus adiumenta. Etenim Dialectica per se ipsa nihil est, neq; ullum habet sepositum munus, aut ullam nominatim rem sibi subiectā, sed omnes res, quæcunq; in hominum quæstionem & disputationem cadūt ui sua complectitur, ad reliquasq; disciplinas uiā sternit; quippe quæ docendi ratio quædam sit, artemq; quandā definiendi, diuidendi, ratiocinandi & disserendi tradat, quā qui cognouerit, is profectò faciliorem quandam uiam tenet ad ea, quæ in reliquis disciplinis traduntur perueniendi. Sed quo consilio ille hanc partem totam prorsus omiserit ipse uiderit.

Equidem illum arbitror tanto studio Philosophorum laudis obscurandæ flagrasse, ut adolescentes apud quos loquitur, hac utilitate carere maluerit, monendo ut aliquam temporis partem, atq; operæ Dialecticæ darent, quàm præclari huius inuēti gloriam oratione sua Philosophis asciscere. Atq; hæ duæ res sunt, Politica & Dialectica, quarum inuentio & tractatio cum studium Philosophorum magnopere commendent; in secunda orationis parte, quæ modo lecta est, per summam inuidiam & iniuriam silentio præteritas fuisse reprehendo. Illud uero quod ex prima orationis parte huic loco reprehēdēdū reseruaui est eiusmodi, ut in eo (pace Sfondrati dixerim) risum tenere uix possim. Perridicule enim fecit Sfondratus, qui quod crimen in iuris ciuilis studium in primis ualet, id in Philosophos impudētissime contulit, quo nihil fieri potest inscitius. Nā non modo accusatio, sed ne obiurgatio quidē ferenda est in ea re, in qua obiurgator deprehensus sit. Cui rei quoniam ridicula est, ridiculam quoq; atq; iocularem similitudinem affingere libet. Simile enim quiddam Sfondratus fecit ac meretriculæ in rixis & conuitijs inter se solent, quæ impudicitiam inter se in primis probris obijciant. ex uarijs enim discrepantibusq; inter se Philosophorum opinionibus, Philosophiæ contemptionem quandam collegit, docuitq; eo argumento nihil certi aut explorati Philosophos tenere. An quidq̄; omnino est, ex omnibus literarum doctrinis, quod ea inuidia sit magis onerandum quàm ius ciuile? in quo nulla de quanuis minima re quæstio excitatur, quin apud uestros iuris interpretes mira sit sententiarum uarietas, tantaq; est inter ipsos de omnibus ciuilibus rebus dissensio, ut sæpissime cum paria ferè sint utrinq; & auctoritatum & rationum momenta, cui potius assentiare nescias, ut non

minus, atq; adeo longe magis eam dubiam coniecturam perse qui uideantur, quam Philosophis uitio dedit. Itaq; si Mathematici, qui certam et stabilem constantemq; de rebus, quas docet, sententiam habet, dissensionis, uarietatisq; nomine Philosophos uellicent, minus fuerit succensendum, ferendiq; uideri possunt. Vos uero iurisconsulti apud quos nihil ferè certi est; inter quos de nulla re constat; qui a uobis ipsi sæpe dissentitis, in quo uitio uir apud uos nemini secundus Baldus semper ferè deprehenditur, tã proiecta estis impudẽtia, ut nõ modo nobis discrepantiã obijcere, sed ut omnino uarietatis, opinionũq; dissensus mẽtionẽ ullã facere audeatis? Itaq; cætera omnia quæ in Philosophos inflixit, facilia sũt illa quidẽ responsu, sed tamẽ eiusmodi, quæ refellere oporteat, quod aliquẽ aliquando facturũ spero; Hoc uero quod cum risu quasi puerile quodã excipiendũ uidetur, est eiusmodi, ut totus hic locus de oratione sit eximendus, ne tam inepta re omnis eloquentiæ & ornamentorum laus deformetur. Hæc ferè sunt, quæ contra hanc secundam partem strictim mihi ad Philosophorum defensionem attingenda esse uisa sunt. quanquam ne mihi quidem; si nunc uelim ius ciuile uerborum acerbitate perstringere, oratio desit. Nam quemadmodum quidem uos illud tractatis, quid eo fieri potest aut loquacius, aut illiberalius, qui illud nulla disputandi elegãtia, sed infinita quæstionum, humanisq; ingenijs formidabili multitudine tractatis ut totis artubus contremiscendum sit ingenuis adolescentibus qui ad uos accedentes tantam uideant librorum, consiliorum, lectionum indigestam congeriem sibi euoluendam?

Non mihi si linguæ centum, sint oraq; centum
Ferrea uox, inquit Poeta.

At ego dico non si ferrea sint hominibus ingenia, non si ad om

nes labores durata, tantam tamen uim habere, ut non ea tam assidue exãtlandus labor laßare ualeat, atq; infringere. Itaq; uidemus omnes ferè homines liberali ingenio natos desperatione debilitatos, libenter uobis honores istos et auctoritatem quã uobis asciscitis, remittere, dum teterrimi huius studij labore careãt. Atq; ego hæc credo, fingo, aut comminiscor, ac nõ potius de multis ex uobis sæpe audiui, cum dicerent aut ius Ciuile tot libris præcidendũ, tamq; multa scripta comburenda, aut hoc studium propediem desertum iri; neq; enim iam hominum ingenia tanto labori paria ullo modo eße poße. Quid illa? quã grauis fuerit accusatio si aliquis accurata, acriq; oratione doceat res forenses a uobis ita constitutas, ut satius iam sit hominibus res suas omnino amittere, ab alienisq; possideri permittere, quàm illas tanta rei familiaris ac temporis iactura per ius & iudicium persequi? Nam per Deum immortalem quid est hominum generi pernitiosus quàm nostræ ætatis iudicia ac forum, quod non æqui iuris gymnasium sed calumniarum officina sit? ut nulla tam parua res in ius adducatur, quæ non satis sit ad ætatem hominis conterendam, tot laqueis homines induitis, quibus illi nunq̃; se exuant; adeo lites extrahitis, ut finis nũquam appareat. Et dicere non pudet iurisconsultos se æqui iuris inter homines distributores esse; se sua unicuiq; reddere; se ius & æquitatem tueri? Vos ne æqui iuris cultores, an calumniarum & laqueorum quibus irretitos perpetuo nos habeatis artifices estis? sed moderabor orationi. nolo enim aut multus, aut uehemens esse in ea re quam alij copiose disputandam & tractandam reseruo. ijs igitur & alijs eiusmodi rebus omnia ferè præclara ingenia ab hoc iuris ciuilis studio abhorrere uidemus; in quibus fuit summus ille uir, nostræq; ætatis, ut mea

fert sententia, eloquentiæ laude nemini secundus Iacobus Sadoletus. Is adolescentes ab eo studio cum exemplo & auctoritate, tum etiam oratione sua reuocabat, cũ diceret, quæstus hoc studium esse, eorumq; hominum, qui ex eo sibi uictum quærerent. Itaq; miror te Folieta non cum illi uiro familiarissimus et charissimus in primis fueris, eius esse auctoritatem secutum. Cum præsertim tibi de re familiari satis honeste constituto nihil opus sit illiberali hoc quæstu ad uictum parandum. Ad honores uero, quorum te ut cæteros adolescentes cupidum existimo, permultæ tibi aliæ uiæ cum non minus expeditæ tum honesta uoluptate magis præditæ pateant; ista in primis eloquẽtiæ, ad quam te natum uideo. Cum præsertim in iure ciuili nõ ita processeris, ut iam tibi pedem referre nõ sit integrum. quod si me audieris & hominem amplissimum fueris imitatus; & fructuosum consilium sequeris; & illiberali labore te euolues. sin in sententia tua es obfirmatus, nihil est quod plura uerba faciam, aut molestus magnopere sim. Itaq; tuo te iudicio uti sinam. Hic me respondere incipientem Moronus interfatus, dabis (inquit) hoc nobis Folieta, ut admonitioni Sighicelli ne in præsentia respondeas & ad Gallesium conuersus. Non grauaberis (inquit) Antoni, ut in priore orationis parte fecisti, in hac quoq; tibi respondendi partes sumere. Itaq; ad hæc extrema, quæ de quæstionũ, librorumq; multitudine, ac de litium extractione Sighicellus attigit, quæ nõ tam ad Philosophorum defensionem attulit, quàm in ius ciuile inflixit, tibi respondendum est, ea studium hoc uestrum ciuilis iuris maxime premere uidentur, suntq; communi hominum reprehensione, quotidianisq; sermonibus exagitata atq; perstricta, neq; facilem uidentur habere responsionem. Itaq; si aliquid te dignum ad ea afferre

potes, pergratum omnibus feceris, si hoc protuleris. Illud uero quod de dissensionibus, sententijsq́; discrepantibus dixit, in quo indignatus est, cum nullum studium in hac infamia iaceat ma gis quàm uestrum, eo tamen nomine Philosophis non erubesca tis inuidiam conflare; Hoc uero est eiusmodi ut perdificile tibi futurum sit, te inde euoluere. Tum Gallesius facile inquit, Mo= rone et hunc locum, quo tu maxime putas nos premi, & cæte ra omnia tuebor; meq́; ex omnibus quæ modo Sighicellus dixit expediã; neq; ad hæc extrema tantum, sed ad superiora quoq; quæ ad Philosophorum defensionem proposuit, quæ tu firmio= ra putas, quàm ut labefactari possint, respondebo. Itaq; Sighi= celle, quod libros, qui Politici inscribuntur, diuinaq́; Platonis & Xenophontis & aliorum complurium scripta omissa esse questus es, non omnia una oratione, quæ ipsa fortasse etiam paulo longior fuit, complecti potuit Sfondratus. Sunt tamẽ eius modi quæ causam uestram haud multum sanè subleuare pos= sint. Nam Primum Ciuitates optime institutas prudenterq́; administratas sine ijs libris docere possum. Neq; enim ijs di= sputationibus unquam interfuit, illas ue unquam audiuit Vir il le sanctissimus Lycurgus. atqui nullas leges præclaris illius in stitutis, quæ tam sanctos, tamq́; diu incorruptos mores pepere= rint, æquare possumus. ijs disputationibus caruerunt cæteri ue teres legum latores, Cum psæsertim tanto post hæc cæperint Athenis ab otiosis hominibus quæri & disputari. Quin sem= per a Laconibus, quibus nullus unquam Populus mores & in stituta uitæ sanctius aut diuturnius coluit, Atheniensium di= sputationes reiectæ fuerunt. quod etiam complures alij Populi fecerunt. Neq; Pericles, Themistocles, nostriq́; Publicolæ, Bruti, Torquati, cæteriq́; innumerabiles a Philosophis docti

ad Rempublicã

ad Rempublicam accesserunt. Cum etiam tempestate nostra neminem uideamus ab his libris ad munera publica tractanda ac sustinenda magis idoneum fieri. Positæ sunt hæ res in naturali quadam ingenij ui rerumq; gerendarum usu. quorũ qui compos fuerit, administrationem illi Reipublicæ cæteri concedent. Neq; uero (Folieta) Augustinus Patruus tuus, quem tam admirabili ingenio, tantáq; in rebus gerendis prudentia atq; usu; In rebus uero multo ante prouidendis ea mentis ui fuisse constat, ut in quotidianis sermonibus, cum (ut fit) de rebus publicis inter se homines commentantur; ac de futuris ijsq;, quæ impendeant conijciendis disputant, si quis eius auctoritate pro ratione usus esset, protinus omnes acquiescerent. Hoc futurũ est, aliquis dixisset; in ea enim est opinione Folieta. Nemo tantum animi habebat, ut contra tendere auderet, id quod a nonnullis scriptum est. Augustinus igitur tantum abest, ut ullis Philosophorum scriptis edoctus eam laudem sit assecutus, ut primæ illius puerilis eruditionis penè expers fuerit. Innumerabilia alia exempla eiusmodi cum hic Romæ, tum in alijs locis & nostra & alijs ætatibus proferre possim; sed ne nimius sim, hoc illustri ero contentus. Quod si a Doctorum hominum scriptis aliquod adiumentum ad Respublicas gerendas aut ad leges ferendas petere possumus, quod nimis pertinaciter non negabo, ne præclaris ingenijs detrahere uideãr; quibus potius si possim, omnem laudem libenter asciscam; In maiore ut mihi uidentur, qui historiam scripserunt, quàm Philosophi sunt cõmendatione ponendi. Nam ut omittam non minus illos ingenij specimen in historia recte scribenda dedisse, quàm Philosophos in Dialogis, commentationibusq; suis; Cuius rei locupletissimus est testis Vir ille longe clarissimus, atq; in eloquentiæ gloria ne

mini mea ſententia ſecundus . T. Liuius, cuius beatiſſimæ co- piæ, in omni genere admirabili uarietati, inuentioni, ſententia- rum & uerborum luminibus neminem puto fore præſertim ſi omnia eius ſcripta haberemus, qui aut Platonem, aut omnino quenquam alium audeat anteferre. ſed tamen ut hanc ingenij laudem in ſcribendo omittam, quis nõ a uitijs acrius deterrea tur, Præclarorum & ſceleratorum hominum rebus geſtis le gendis, laude & uituperatione, præmio & pœna, quæ uirtutẽ & uitia cõſecuta ſunt animo agitandis, quàm Philoſophorum diſputationibus audiendis? quis nõ peritior euadat & ad mu- nera publica inſtructior ſapientium virorum conſilijs, quibus graues res & difficiles adminiſtrarunt & explicauerunt de Hiſtoricis cognitis, quàm a Philoſophis, uſu (qui rerum geren- darum caput eſt) carẽtibus eruditus? Quid ſi huius laudis Phi loſophis quoq; inuidere nolimus ſocietatem, quæ certe parua eſt, ut mihi uidetur quid tamen ſunt illi cum omnibus præcla- ris libris ſuis præ Iurisconſultis? qui omnium rerum, quæ in hominum contractus & controuerſiam cadunt, ac quemadmo dum omnes iuſtitiæ partes ſint tractandæ & adminiſtrandæ, doctrinam quandam artemq; perſpicuam & expeditam tra- dunt. quos nunc laudare non eſt conſilium, Propoſitum enim ſolum mihi illud eſt, ut te refellam, iusq; ciuile Philoſophorum ſtudijs recte antelatum a Sfondrato defendam. In eodem ſilẽ tio iacuit Dialectica, quam a Sfondrato ideo prætermiſſam ar- bitror, quòd eam fortaſſe non improbet, nam illud tantum pro poſitum fuit, ut ea ſtudia Philoſophorum reprehenderet, quæ ſe ipſa per ſe tuentur ſingula, ſuisq; terminis circunſcribũtur, uiribusq; ſuis nituntur atq; hærent, ut ſunt cauſarum naturæ, rerumq; diuinarum inueſtigationes deq; moribus hominũ otio-

ſæ quæſtiones. Dialectica uero, quæ cum nullum ipſa propriũ munus habeat, in quo uerſetur, ſed eius uſus latiſſime pateat, ad alias doctrinas, easq́; omnes res, quæcunq; in quæſtionem uocantur, iter tantummodo expediat, reprehendenda non fuit. At enim a Philoſophis ſubtilius exculta fuit & ad artem quã dam redacta. quæro a quibus. Nam Epicurus quidem, quiq́; il lum ſecuti ſunt, plurimi & magno ingenio uiri totam illam ut rem ſuperuacaneam repudiauerunt. Idem (inquis) qui cætera ſcriptis ſuis illuſtrauit Ariſtoteles. Quid tibi ad hoc reſpon deam; niſi uiri alicuius ingenio præcellẽtis laudem non eſſe ad ſtudij commendationem reuocandam. Neq; enim Philoſopho rum eſſe Dialecticam dicendum eſt, quòd eam Ariſtoteles or nauit atq; excoluit, quemadmodum nec Rhetoricam Philoſo phis attribuimus, quod hanc quoq; artem præclare Ariſtoteles tractauerit. Quod ſi hoc Philoſophiæ ſtudium ita late patere uolunt, ut Dialecticam & Rhetoricam complectatur, non ma gnopere luctabor. Nam & ius quidem ipſum ciuile Philo ſophiæ partem eſſe non nego. quod aliquando nobis obijcere ſo letis. Etenim cum iuris ciuilis ſtudium Philoſophiæ præponi mus, continuo uos Philoſophiæ partem eſſe reſpondetis; nosq́; uerbo premitis. Sed nihil eſt reſponſu facilius. Nã ut ſit Phi loſophiæ pars; hæc tamen noſtra ratio eſt, idq́; intendimus hãc partem, quantulãcunq; uos eam facitis, Romanos iuriſconſul tos & maiore cum ratione excolendam, perficiendamq́; ſuſce piſſe, præclariusq́; in ea operam ſuam collocaſſe, quippe cuius utilitas in Ciuitatibus, hominumq́; uita multiplex ac maxima ſit, quàm Græcos in rerum naturæ inueſtigatione, ac de mori bus hominum loquacibus quæſtionibus. quòd illam nihil certi, nihilq́; explorati habere, nullamq́; rem ſcientia comprehendere

planum factum sit; hanc nihil utilitatis hominibus planè afferre; utranq; uero hominum otio abutentium rem esse. Quod si Philosophorum commendationem a Dialectica sumere uultis; non repugno, modo duo illa studia de naturæ causis, rebusq; cœlestibus & diuinis, deq; hominum moribus a nobis iugulata iacere patiamini; neq; Dialecticam ijs tantummodo uiris tribuatis, qui de rebus istis quærunt, cæterorumq; societatem repudietis; neq; communem laudem per iniuriam uni hominum generi assignetis. Dialectica enim (ut sæpe dixi) omnia studia utuntur. Quanquam si artem Dialecticæ ab alijs abiudicare libeat, totamq; Philosophis concedere, ne ea res quidem uidetur eiusmodi quæ nimios illis facere spiritus possit. omnibus enim hominibus a natura indita est Dialectica, quæ idem planè est, atq; uis intelligendi ac ratiocinandi, ex rebusq; cognitis, magisq; perspicuis ad obscuras perueniendi. quis uero hoc sine ea arte, ijsq; formulis, qui a Dialecticis traduntur, facere nesciat? Aut qui uir optimo ingenio præditus, tum plurimarum rerum cognitione et comprehensione instructus quæcunq; dicere, aut confirmare uult siue oratione, siue scripto, ideo hæsitauit, quòd hanc artem non didicisset, neq; eius formulas teneret? Rusticanos mehercule, qui me de iure consulunt, in re sua exponenda, quanuis omnis eruditionis expertes recte colligere & ratiocinari uideo. Itaq; Epicurus totam hanc artem (ut dixi) repudiauit, neq; unquam tamen eius doctrina ita reprehensa est, quasi parum ex arte ratiocinatus parumq; recte ex assumptis perspicuis collegerit. Apud nostros quoq; Baldus summus Dialecticus Bartoli gloriæ infestissimus, quem quibuscunq; rebus potest, exagitat atq; lacerat, nullo tamen loco, cum Bartolus artis Dialecticæ omnino expers esset, ita reprehendit, quasi non

rectas rationes ponat. In hominum ingenijs hæc posita sunt, neq; multum arte sanè iuuantur, ut infinitis exemplis planius fieri potest. sed nolo pluribus. Cum præsertim non is sim, qui liberalium studiorum laudem libenter extinctam cupiā, quàm potius auctam uelim. Quòd uero in extrema reprehensione tibi risu explodendum uisum est, auctorq́; fuisti, ut de oratione eximeretur, ne eloquentiæ laudem inepta ratio imminueret, est eiusmodi, ut eam orationem nulla re magis quàm hac, quam tu per ludibrium irrides, commendari statuam. Nam in opinionū uarietate ac dissensione non est par Philosophorum et iurisperitorum ratio, neq; eodem utriq; periculo inter se discrepant. Philosophis enim dissensio fidem planè derogat; iurisconsultis nihil omnino detrahit; Minimeq́; id est mirum, cum in alijs quoq; rebus id sæpe usu ueniat. Nam ut est apud Comicum.

Multa in homine Demea
signa insunt, ex quibus coniectura facile fit,
Duo cum idem faciunt, sæpe ut possis dicere,
Hoc licet impune facere huic, illi non licet,
Non quòd dissimilis res sit, sed quod is, qui facit.

Ita opinionum discrepantia quæ Philosophiam atq; alia doctrinæ studia in primis premit, iurisconsultis uitio non datur. Hic Sighicellus Cæsarem credo & Pontificem, quorum leges interpretamini, vos hoc eximio iure esse uoluisse. itaq; profer nobis ubi hoc iubeant, ne per ignorantiam cōtra leges faciamus, qui uos in communis reprehensionis societatem uocemus. Non lege (inquit) Gallesius, neq; auctoritate, sed firmissima ratione tecum agam. Atq; adeo ne id longius fiat, non idem est Philosophorum atq; iurisconsultorum quæstionibus & disputationibus propositum. Nam Philosophi diuinas res, naturæq́; causas

inuestigando, quid in ipsis sit quærunt; quæ res cum sint, per seq; ipsæ hæreant, stabilesq; ac perpetuæ sint, neq; ulla ratione mutabiles; in ijsq; nihil aliud efficere possit Philosophorum contemplatio, quàm ut uerum de ijsdem assequatur, alijsq; tradat; Veritas porrò in eadem re una duntaxat esse possit, quis non intelligit necessario fieri ut de innumerabilibus Philosophorum de eadem re inter se discrepantibus opinionibus non plus una uera, cum una sit ueritas, omnes uero falsæ esse possint? Quis uero tantum animi habebit, ut unam earum ueram affirmare audeat, cum contra eam uideat tam multa, tamq; uerisimilia contrariarum rationum momenta. Nam cur potius Galeno, quàm Aristoteli assentiar uerisimilia utriq; proferenti de hominis creatione, deq; alijs infinitis rebus, naturæq; principijs? quo fit ut mutuo sibi ipsi fidem abrogent. Viget igitur Sfondrati ratio Philosophis fidem non esse habendam, quam sibi ipsi contrarijs inter se rationum & auctoritatum momentis abiudicent. Cumq; nihil inter eos constet de ijs rebus, quæ manu tractamus, quæ oculis cernimus, quæq; in nobis ipsis sunt, ideoq; nihil eos firmi in eiusmodi rebus afferre arbitremur, quanto minorem de rebus obscurissimis, ab omniq; planè sensu seiunctissimis, ut de cœlo, & cælestibus, diuinisq; rebus fidem facere debent? Diuersa est nostra planè ratio. Nam quid in unaquaq; re ius & iustum sit, cum iurisconsulti quærunt, non de re, quæ per se ipsa sit, inuestigant, sed quæ ab hominum opinionibus inducatur, tollatur, atq; immutetur. Neq; enim natura est ius aut iustum, sed hominum præscripto & uitæ necessitate inductum. quod aliæ de eadem re apud alios populos, quin etiam apud eosdem aliæ alio tempore leges & instituta declarant, quæ in tanta sunt uarietate, temporibusq; ita muta-

biles, ut non tam tempora, moresq; hominum regere, quàm ad tempora; et ad mores accommodari uideantur, ab ijsq; penè induci, ut recte Aristoteles scripserit honesta & iusta ita uaria esse, ut legibus tantummodo & moribus, neq; uero natura esse, uideãtur. & Horatius.

Atq; ipsa utilitas iusti propè mater & æqui.

Vtilitatem, neq; uero naturã iusti matrem facit, Et paulo post.

Iura inuenta metu iniusti fateare necesse est.
Tempora si fastosq; uelis euoluere mundi.
Nec natura potest iusto secernere iniquum.
Diuidit ut bona diuersis, fugienda petendis.

Neq; enim natura iustum est, ut si mihi mille sestertium mutues, ego tibi ad totidem reddenda obstringar. omnia enim cõmunia creauit natura; Neq; naturale est fures suspendio necare, cum apud quosdam populos nonnulla genera furandi in laude ponantur; Neq; docet natura adulterium summo supplicio afficiendum esse, quæ non magis in hanc, quàm in illam mulierem uiris procliuitatem dedit. omnia hæc utilitas induxit, quæ res a natura communes creatas legibus unicuiq; assignauit, multosq; modos acquirendi, pluraq; contractuum genera & formulas instituit, quæ tamen omnia & prouincijs & tẽporibus uariantur. Cuius uariationis arbitrium in primis penè illos est, qui ad leges condendas & interpretandas publice eliguntur. ij autem ipsi sunt iurisperiti, qui cum nõ quid uerũ, aut re ipsa iustum sit, quærunt; (neq; enim id uel apparere potest, uel omnino quicquam est, quod paulo ante ostendi) tanta sunt auctoritate, ut quod frequentior pars eorum de quacunq; re statuit, id non modo probabilius uideatur, sed iustum omnino sit. quod tamen summa cum ratione semper faciunt. Diu-

turno enim rerum ciuilium usu, earumq; assidua tractatione, tum præterea ueterum iurisconsultorum lectione facultatem, artificiumq; quoddam tenent; quo hominum controuersias penitus expediant, atq; constituant, quàm cæteri homines alijs in rebus uersati. Itaq; cum aliquid de ciuilibus controuersijs, aut de maleficijs consentiens constansq; iurisconsultorum, aut saltē frequentior statuit opinio, non modo quasi uerisimilius, ad ueritatemq; propensius, sed pro iusto planè accipiendum est. Neq; enim quicquam est omnino iustum quàm hæc ipsa de aliqua re consentiens frequentior ue opinio, neq; permoueri nos cōuenit, si duorum, aut trium acutorum hominum etiam Iurisperitorū sententia a frequentiore opinione abhorreat, uerisimilioreq; ratione subnixa uideatur. Semper enim in iure ciuili auctoritas rationi præponderauit. quam auctoritatem communis populi consensus comprobat ac sequitur, comprobationeq; sua legis auctoritatem iurisperitorum opinioni conciliat. Ac fieri potest, ut disputandi subtilitate, rationibusq; ad speciem insigniori-bus Philosophus aliquis Lycurgum ac Solonem uincat; Lycurgi tamen & Solonis leges qui illis se subiecerunt, sequentur, Philosophiq; disputationem reijcient; idq; recte, summaq; cum ratione. Nam iustum est quod leges Lycurgi præscribunt & Solonis. quod Philosophus contra disputat, iniustum. quid ita? quia leges auctoritate nitūtur iustumq; illud tantum est, quod auctoritate sua leges iustum faciunt. Quo etiam illorum error apparet, qui in Philosophorum disputationibus uersati tractationem de ratione singularis certaminis sibi assumunt. Nam legum ignari, quomodo quid iustum, quid ue iniustum sit ea in re aut omnino in quauis alia statuere possunt; cum iustum legibus sit? Quanquam hæc de Duello tractatio mea sententia

tota res

tota res est nugatoria; grauibusq́; uiris indigna, ab omnibusq́; planè reijcienda; ac contra quam si à forensibus negotijs otium mihi unquã dabitur, quid ipse sentiã scribere in animo habeo. itaq; ad inceptum reuertor. In legum locũ suffectæ sunt apud nos iurisconsultorum interpretationes ac disputationes. Et ue terum quidem responsa ad legis uim lege Cæsariana reuocantur; Recentiorum autem interpretum responsa & disputationes nulla illæ quidem lege, sed usu populi & approbatione, in qua eadem inest auctoritas, uim quoq; ipsæ legis obtinẽt. Cum igitur iurisperiti uel constanter omnes uel frequẽtiores aliquid statuũt, nihil est, quod aliquis quærat, sit ne id iustum nec ne; sed iustum esse prorsus confitendum est. cui consentienti aucto ritati fidem ideo derogare non potest contradicentium disputa tio, quòd illa frequens opinio uim potestatemq́; habet iusti creã di, neq; apud ullos omnino populos quicquam iustum, uel iniustum sit, ius uel iniuria præter id quod ijs uisum est, quibus ea auctoritas publice mandata est, ut a nobis omnium consensu et approbatione iurisperitis nostris. quid igitur simile habent Phi losophorum & iurisperitorum dissensiones in fide utriq; studio tollenda; cum illi res naturæ sibi opinione sua fingere nõ possint, aut eas immutare, omneq́; eorum studium in ijs cognoscendis, scientiaq́; comprehendendis uersetur? Ad quam rem cum illos peruenire non posse ex eorum dissensionibus planè appareat, merito est inanis labor repudiandus. De iuris uero consultorum opinionibus dubitandũ non est; quæ id quod quærunt hoc est ius & iustum consentientes (sæpe enim omnes consentiunt) uel saltem frequentiores efficiant, atq; creent. Tũ Moronus, uereor (inquit) Gallesi ut ego & Sighicellus hoc tibi possimus assentiri, iustum legibus potius esse, quam natura. Ne

que enim puto primos illos legum latores quiduis hominibus temere præcepiſse, ſed naturam Ducem ſecutos eius in rebus ordinem ſpectaſſe; legesq́; ſuas ad eam accommodaſſe; quodq́; ipſa petere uidebatur, eiq́; conuenire, ei rei iuſti nomen impoſuiſſe; hominibusq́; ut id obſeruarent, naturæq́; conuenienter uiuerent, mandaſſe; a quibus uero rebus natura abhorreret, ijs nomen iniuriæ dediſſe; hominesq́; ab eisdem mulcta & pœna cohibuiſſe. Poſteriorum quoq; legum latorum, ac iuriſconſultorum, omniumq́; qui ius interpretantur, aut quouis modo tractant eandem eſſe rationem. Ab hoc naturæ præſcripto illa orta eſſe, quæ omnium legum capita ſint & fundamenta; Vitam cum honeſtate traducendam; neminem iniuria afficiendum; quod tibi ipſe fieri nolis, id in alterum nequaquam moliendum; ius ſuum unicuiq; tribuendum. Ad hæc & eiuſmodi nõnulla præcepta cum uniuerſum ius, quo utimur, referatur; ab ijsq́; quaſi a fontibus ius in diuerſas partes, diuerſasq́; res & negotiorum formas permanet; natura legum auctor eſt aſciſcẽda. Neq; ſi legislatores in ſcribendis legibus rationem omiſerunt, iccirco eſt putandum illos quicquam niſi ſumma cum ratione feciſſe, quam ideo tacuerunt, ut ſignificarent leges auctoritate ipſas ſua ac numine, non autem ratione eſſe ſeruandas. Quod ne ipſi quidem iuriſperiti negare audeant; qui dicant, legi animæ inſtar eſſe rationem, neq; quicquam affirment, aut negent in interpretationibus, ac quæſtionibus ſuis, aut etiã cũ conſulentibus de iure reſpondent, quin rationem afferant, uulgoq́; in Pandectorum libris legatur, naturali ratione id quod iurisconſultus reſpondet, niti. Quibus uerbis Moroni cum ſe magnopere aſſentiri Sighicellus dixiſſet; Galleſius, non ego (inquit) is ſum qui primis legum latoribus, aut uero etiam poſte-

rioribus in legibus condendis rationem abiudicem;neq; alia ratione illos quàm natura uti potuisse intelligo; ab hocq; naturæ admonitu illa orta esse confiteor, quæ tu Morone de honeste uiuendo, de abstinendo ab iniuriis ac maleficijs, de æquo iure inter homines distribuendo attigisti. Ac neq; inficior hæc atq; alia eiusmodi nonnulla omnium legum, omnisq; iuris fundamẽta, ac fontes esse. Sed cum tibi hoc concessero, illud tu mihi negare non poteris, rationem omnium præceptorum ad usum accommodandorum, quæ ita late patet, ut Philosophi illam infinitam appellent, non a natura sed a moribus hominum, a temporibus, a locorum natura in primis sumptam; idest quo modo ijs præceptis sit utendum, uisq; eorum in uniuersas iuris partes inflere debeat. Verbigratia iubet lex cũ honestate uiuendũ esse; naturæ præceptum est. non nego. est enim perpetuum & immutabile. at quomodo sit cum honestate uiuendum, naturæ esse non potest; Varium est enim locis & temporibus. Nam apud Italos summæ turpitudinis est intemperantius bibere; at apud multos Germaniæ populos, quos honoris causa nomino, in laude etiam ponitur, ebrium e conuiuio sublatum esse; apud omnes uero penè capitale est, inuitatum uel maximis poculis bibere recusare, id lege, an moribus fiat, nihil interest; approbati enim mores ad legis uim reuocantur. Mulierem uiros osculari apud nos & maximam hominum partem meretricium est. At Galli, quos honoris etiam causa nomino, eo sunt animi candore, ac sinceritate, eamq; inter se & cum alienis sine fuco charitatem colunt, ut hospitibus uxores suas ac uirgines osculandas præbeant; iniuriæq; loco habeant, si quis incõmoda seueritate, a qua gens illa simplex & aperta maxime abhorret, id facere retractet. Num igitur hac de causa mores uitæ honestatemq;

minus quàm nos colunt? minime ſanè. Atqui ſi natura ſit (non dico honeſte uiuere, nam naturale id eſt) ſed uaria hæc honeſtatis ratio, alterutram nationem in turpitudine uerſari cum diuerſi ſint mores, fateamur neceſſe fuerit. Vxorem alienam conſtuprare apud nos capitalis eſt iniuria; nonnulli tamen populi Vxores utendas mutuo tradunt. iniuria igitur naturæ admonitu abſtinere debemus, quæ uero ſit iniuria, non natura ſed lex & mos, hoc exemplo nos docent. Suum cuiq; tribuendum eſſe natura iubet. At quam uariæ ſunt rationes rerum diſtribuendarum? tot penè quot ſunt prouinciæ ac Ciuitates, in ipſisq; illis prouincijs temporibus immutantur; ut quod hodie & apud quosdam populos ius ſit in priuatis contractibus & controuersijs; maiorum ætate fuerit, et apud alios populos ſummæ ſit iniuriæ. quod ius Romanorum toties immutatum planè declarat. Vtrum igitur minus iuſti alij populi quàm nos, qui quod nos uni adimimus id illi ei tribuunt, an nos, quàm illi? nulli ſanè iniuſti; Nam utriq; ſuum unicuiq; tribuimus; quòd uero in hoc diſtribuendo uarie uerſemur, id legibus fit, quæ cum diuerſæ ſint aliæq; apud alias, efficitur, ut in eadem cauſa, id ius ſit apud nos ſtatuere, quod idem apud alios ſummæ ſit iniuriæ. Atqui ſi hæc a natura ſint, nulla natio præter unam in iure, rebusq; aſſignandis iniuria carere poteſt. quod quàm a ratione abhorreat, ſine mea oratione facile apparet. nulla igitur ratione ſuſcipiendum eſt etiam ſi paucula quædam præcepta a natura ſunt profecta, quæ ſe in omnes partes ui ſua fundunt; natura tamen eſſe ius ipſum ciuile, quod non in ijs præceptis tradēdis eſt occupatum; omnibus enim nota ſunt, ac mentibus hominum inſinuata, penitusq; infixa, ſed quod de uarijs & infinitis (ut dicitis) generibus ea ad uſum, contra-

ctusq; hominum, ac mores regendos accõmodandis, quærit, ac disputat; sed ius hoc nostrum ciuile ad sapientium uirorũ consilium est referendum, qui morum, temporumq; rationem spectant, ad eamq; se accommodant; Rationesq;, quibus in rebus suis confirmandis, aduersariorumq; refellendis utuntur, moribus, usuq; hominum niti, quem usum ac mores naturalem rationem appellant, quòd eorum nonnullos ita apud eos homines, qui in eadem prouincia nati sunt, constantes uident, eorumq; animis ita penitus inustos, ut nulla ratione eis exuri possint; perpetuæq; naturæ illis instar quoddam sit. Verbi gratia, res furto subtractas restituere Dominis, quis negauerit a ratione naturali præscribi? at hoc naturale non esse declarant leges a sanctissimo eodemq; sapientissimo uiro Lycurgo conditæ, quæ nonnullis furandi generibus etiam laudem tribuunt. Nolo esse in hac re longior, cũ dubitare nõ possim quin hæc ratio ius non natura sed lege esse, ut illam posui et explicaui, omnibus possit probari. Quibus rebus, fit non si causarum naturæ, ac diuinarum rerum contemplatio, omneq; de ijs rebus Philosophorum studium opinionũ uarietate, dissensionibusq; euertitur, eadem ratione iuris ciuilis studium premi. Quod uero Sighicelle de librorum multitudine, infinitaq; illa singularium rerum congerie, quæ præclara ingenia ab hoc studio arcere possit ad iuris ciuilis inuidiam attigisti; Cum elegantius futurum fuisse diceres, si capita tantum quædam posita fuissent, eaq; diligenter explicata, ad quæ singulares res reuocarentur, ex uniuersisq; illis generibus singula dijudicarentur; non animaduertisti te in eo non tam nos quàm Aristotelem uestrũ accusare; qui in libris Rhetoricis scripserit, eas leges esse optimas, prudentissimeq; latas, quæ non capitibus istis, uniuersisq;

generibus continerentur, sed quamplurimis possent singulari-bus persequendis minimum arbitrij iudicibus reliquerint. quod quanuis pluribus rationibus confirmare possim, hac tamen au-ctoritate contra uos disputans contentus ero, cum sciam uos plus illi penè quàm rationi ipsi tribuere, quæ tamen res non id uitij habet, quod multi putant, neq; tam intolerabilis labor, quã fingunt, est suscipiendus. neq; enim omnes libri sunt euoluen-di, sed loci tantummodo tenendi, in quibus unaquæq; res disse-ritur, ad eos cum usus uenerit, est accedendum; quod nostris tẽ-poribus perfacile est in tanta indicium copia. Neq; tamen ma-gnopere improbem, si tanta librorum multitudo in dies crescẽs aliqua ex parte præcidatur & cohibeatur, modo eorum qui scripserunt memoria conseruetur; neq; præclarorum hominũ insignis labor simul & nomen intereat. Quod uero ad extre-mum paulo asperius in nos es inuectus, cum criminatus sis, stu-dium hoc nõ præcidendarum, sed extrahendarum litium esse, quæso, etiam ne tu culpam aliquorum improborum ad studiũ transfers, quo nihil fieri posse imperitius tu ipse intelligis. quos homines quæstui seruientes, atq; ideo calumniarum ar-chitectos fateor e foro esse exterminandos. quanquam ea nunc est Reipublicæ adminanstrandæ ratio, ut lites breues esse non possint, nam si uniuscuiusq; ciuitatis controuersiæ in ipsamet Ciuitate cognoscerentur, iudiciorum exercendorũ modus bre-uiori spatio posset terminari; Cum uero in unaquaq; Pro-uincia fora, in quibus magnæ causæ cognoscantur, tribus qua-tuor ue in locis aut paulo pluribus agantur, relictaq; patria il-luc sit a litigantibus commeandum, probationesq; sæpe ex lõ-ginquis locis sint expectandæ, tum causarũ multitudo ex mul-tis Ciuitatibus in unun locum coacta sit penè infinita, quæ ta-

men causæ singulatim sint dijudicandæ, quis æquus rerum æstimator non hac inuidia iurisperitos liberet, eamq́; temporibus & præsenti formæ Reipublicæ potius assignet. Nam quòd hoc studium quæstus & uictus parandi esse affirmasti; Sadoletiq́; exemplo Folietam ab eo reuocare conatus es; in eo te satis mirari non possum, qui Sadoleti mentionem feceris, cuius auctoritati intelligas me longe plurimas, neq; eas minores hominum præstantissimorum auctoritates posse opponere. quos singulos cum omnibus ij noti sint, nihil est quod nominem. Silẽtio tamen præterire non posum hunc ipsum uirum clarissimũ, omniq́; laude cumulatissimum Franciscum Sfondratum Cardinalem, qui singulari ingenio & eloquentia præditus, hoc iuris ciuilis præsidio aditum sibi ad multa Reipublicæ munera, in quibus omnis hominis ætas a prima adolescentia contrita est; atq; ad hanc amplitudinem patefecit. Quid uiri amplissimi Laurentius Campegius & Ioannes Bellaius Cardinales, qui in perpetua munerum publicorum administratione, in quamplurimis legationibus præclarissime obeundis, iuris ciuilis auxilio usi, nomẽ suum apud omnes homines in summa gloria posuerunt? In qua laude ponendi ẽt sunt Ioannes Angelus Medicæus et Hieronymus Verallus Cardinales. Quibus adscribẽdus ẽ Ioãnes Baptista Cicada Cardinalis, qui peracri, præstãtiq́; ingenio præditus is extitit, qui omnia Romani fori negotia magna ex parte gubernat atq; administrat. Ioannis Michaelis uero Saraceni præstans ingenium atq; eximiam uirtutem quo in genere laudis ponemus? Quid uero Nicolaus Perenottus, qui ad Cæsaris intima consilia uocatus ad eum auctoritatis gradum ascendit, eumq́; dignitatis apud summum Imperatorem locum obtinuit, ut Cæsar omnia ferè quæ toto orbe ter-

rarũ gereret, uni tractãda & expedienda permitteret; Quid Vir clarissimus Antonius eius filius in eisdẽ laudibus, eademq́; auctoritate successor? Atq; hos omnes summos & clarissimos uiros, cum ij sibi ex iure ciuili ad amplissimam dignitatẽ gradum fecerint, utrum tandem putas in eo perdiscendo, quæstum & uictum spectasse, an eam amplitudinem ad quam peruenerunt? An tibi satis uidentur tam multi, tamq́; præclari uiri ad Folietam in iuris ciuilis studio retinendum? Infinitum fuerit si innumerabiles uiros persequi uelim, qui nostra ætate hoc iuris ciuilis præsidio ad amplissimos honores cum in Romana Cohorte tum apud cæteros Principes sibi aditum patefecerunt. Itaq; te hortor Folieta, ut tam claris exemplis excitatus uoluntatem in qua es, non modo retineas, sed aliquid etiam studij, si fieri possit, ardorisq́; addas; Neq; enim honores ad quos alios iure ciuili auctore peruenisse uides, aut tibi, aut cuiq́; qui eadem uestigia ingreditur, sunt desperandi. Atq; ut finem faciam Sighicelle, illud ego semper tenebo, ea studia hominibus maxime urgenda esse, quæ ad humanos usus sint accommodatissima; cætera inanis esse cuiusdam delectationis, neq; ab hac ratione quenquam sapientem, remq́; potius, quàm splendorem quendam rationum, cantilenasq́; istas uestras intuentem unquam dissensurum; ex ijsq́; in primis ius esse ciuile. Hic cum Sighicellus se ad respondendum pararet, Moronus quoniã (inquit) de hac iuris ciuilis & Philosophiæ comparatione satis multa dicta sunt, date hoc omnes mihi, ut de hac re sit iam inter uos silentium; atq; hanc quæstionem quam nunc in manibus habetis, mea causa in præsentia omittite, ne quæstio quæstionem adducat, atq; in infinitum serpat disputatio. Quæ cum ille dixisset, silentiumq́; omnium factum esset, animaduersum

est ex

est ex uultu & obtutu illum nonnulla secum animo agitare.
Cui ego quid est hoc (inquã) Morone, quod mihi uidere in acer
rima cogitatione defixus? An fortasse es dicturus quid sentias
de ijs rebus, de quibus inter Gallesium et Sighicellũ paulo ante
est disputatum? Tum Moronus, Ego ne Folieta, ut de tanta re
meum iudicium interponam? maioris est res otij, diuturniorisq;
meditationis. Illud tantum dicam quomodo quidẽ res hodie acta
est, accuratius & copiosius atq; etiam subtilius iurisconsultos
& a Sfondrato & a Gallesio fuisse ornatos, Philosophos con-
tra oppugnatos, quàm a Sighicello, aut illos oppugnatos, aut
hos defensos. quod tamen onus ipse ad aliud tempus, maiusq;
otium reseruauit. Itaq; ueniam dabit Sighicellus si dixero rẽ
uideri mihi in iuris cousultorum causam inclinatam. Sed tamẽ
Gallesi nonnulla mihi in mentem ueniebant pro Philosophis cõ
tra ius ciuile istud uestrum, tibi, ut mea fert opinio, atq; adeo
omnibus responsu difficilia, quæ tamen in aliud tempus reijcio,
quòd tam multa iam in hãc sententiam, a uobis disputata sunt,
ut molestus iam sit de ea re prolixior sermo. Tu uero Moro-
ne, inquit Gallesius, iucundam rẽ omnibus feceris, ut pro alijs
spondeam, si quæ tibi ueniant in mentem ea nisi molestum est
nobis exposueris, præclara enim ea esse oportet; Mihi uero et
& iurisconsultis etiam gratam. Nam quemadmodum in per
ditis causis quicquid dicitur deterius fit; ita non uereor quin in
hac iurisconsultorum, quæ optima est, quicquid contra illam di
cetur (pace tua dixerim) nõ modo illam non sit labefactaturũ,
sed ea argumenta ex me excitaturum, quæ causam nostrã ma
gnopere confirment. Tum Moronus memento (inquit) me An
toni non disputandi animo, neq; quòd a Philosophorũ causa stẽ
hæc dicturum; sed ut tibi & cæteris morem geram ijs rebus

exponendis, quæ mihi in mentem ueniant; neq; mihi molestum futurum est si tu ea omnia refutaueris. Ac ne diutius uos morer. Primum non uidetur mihi inter Philosophiæ huius, quæ ad mores & ciuilem uitam pertinet, studium; & ius ciuile recte suscipi comparatio. Nam Philosophiam hoc statuo iure ciuili præclariorem rem esse & præstantiorem, quo latior est, patentiorq; eius utilitas. Neq; nunc illud dico rem quandam uniuersam esse Philosophiam, omnesq; ciuitatis partes, atq; omnes humanas res ui sua complecti, ut etiam leges & ius ipsum Ciuile illi tanquam pars sit subiungendum, ius uero ciuile eius speciem quandam esse. Nam satis hoc a uobis & si non ita explicate in disputatione uestra est distinctum, in qua tanquã de duobus diuersis inter se studijs quæsiuistis, utrum tandem in humanis rebus conformandis præclarius sit uersatum, iusne ciuile, quod partem tantum iudicialem uidetur amplexum, eamq; ita diligẽter, subtiliter, copiose, eleganterq; tractasse, atq; excoluisse, ut de omnibus doctrinæ studijs, quæ ad ciuilem uitã & hominum actionem pertinent, nihil perfectius, ut tu paulo ante docebas, inueniri possit; An philosophi, qui omnes Ciuitatis partes attigerunt, nullamq; prætermiserunt, quãuis nõ satis ut tibi uidebatur, utiliter neq; eleganter. quæ distinctio, comparatioq; inter hæc duo hominum genera non uideo, quid impediat, quo minus suscipi possit. Vt igitur hoc omittam. Alia ratione latius patentia uidentur mihi Philosophorum præcepta & disputationes, quàm iuris Ciuilis scientia. Ad plures enim homines pertinent. Nam eiusmodi sunt, ut non modo ad nostram omnium uitam, quicunq; Europam incolimus, accommodari possint; sed ad omnium præterea hominum, qui sunt in orbe terrarum; eandemq; quam nos ex illis utilitatem cape

re cæteri omnes possint. Turcæ, Persæ, Parthi, Aethiopes, Numidæ, Garamantes, omnes deniq; nationes ac populi. nam cũ omnibus hominibus cũ recta sit ratione uiuẽdum, omnesq́; beati esse uelint; de recta uero ratione, quemadmodum ea utantur, ac quemadmodum homines beati efficiantur, copiosissime Philosophi disputent; cui tandem nationi non summam afferent utilitatem, si in eam importentur Philosophorum scripta? quod si non adeo magnam esse eorum scriptorum utilitatem contenderis, eam saltem efferent, quæ in ipsis est, quam aliquã esse negare nullo modo potes. Quæ res de iure ciuili hoc uestro usu uenire non potest; qui enim usus eius erit, quæ ue utilitas hominibus qui eo iure non teneantur; quiq; alijs legibus, alio iure uiuant? Nihil enim est tam uarium, quàm leges. Aliæ enim sunt apud nos in Europa, qui ab his Romanis, neq; tamẽ omnes regimur; Alio iure utuntur Turcæ, Alio Afri, Alio Indi, alio alij; quo fit, ut quemadmodum nos nullam utilitatem ab eorũ legibus capimus, ita uicissim illis nostræ leges, nostrumq́; hoc ciuile ius inutile planè sit. Qui igitur conuenit non longe inferiorem facere eam rem, quæ tam angustis finibus circunscribatur, ut in tanta orbis terrarum magnitudine uix compareat, quæq; tam exiguis populis sit apta, illa re, quæ ui & utilitate sua toto terrarum orbe peruagetur; omnes populos, omnes Prouincias adeat; in omnes nationes se insinuet, quin ẽt singulas urbes, atq; adeo singulas domos penetret? Etenim Philosophi de hominũ moribus, de uitæ institutis, de legibus ferẽdis de Ciuitatibus cõstituendis rẽ uniuerse quærũt sine ulla aut hominũ aut regionũ definitione; neminẽq; omnino mortaliũ a præceptis suis excludunt; iuris uero ciulis scientia & utilitas, ijs Prouincijs, quæ illo tenentur, atq; utuntur, terminatur, ut etiã

si ius hoc Romanorum atq; hæ leges, quibus uiuimus, omnium legum, quæ nunc apud quoscunq; Populos uigent, optimæ sint, illis tamen cæteri omnes præter nos uti prohibeantur. Deinde (hoc uero est, cui respōdere ostentationem potius quandam habeat ingenij, acrisq; cuiusdā uis in refellendo, quàm studij ueritatis inueniendæ significationem) quomodo Philosophorum scriptis iurisconsultorum uestrorum libros & studium anteponis, artem deliberatiuam siue eam scientiam, siue facultatē quandam appellare libet, iudicali arte inferiorem faciamus licet. Qua re quid suscipi potest absurdius? Etenim cum iurisconsulti opera quantacunq; ea sit; quam certe magnam esse fateor; neq; enim is sum, qui quicquam de iuriscīuilis dignitate detractum esse uelim, quod potius omnibus rebus auctum & ornatum esse cupiam; sed tamen sit quanuis magna & multa iurisconsulti opera, ea tamen tota foro, subsellijs, priuatisq; controuersiis dijudicandis & maleficijs coercendis terminatur; neq; ad ullas præterea Reipublicæ partes accedit, eas ue ulla ope iuuat. id quod etiam inter uos conuenire uideo. At uero deliberatiuæ Dij immortales, quāta uis, quantus, quàm multiplex usus, quantum in ea Ciuitatibus præsidium, quàm omnes Reipublicæ partes, siue illæ maximæ, siue minimæ sint, ope sua cōplectitur; ut ab ea destitutæ, ne momento quidem temporis hærere possint. Nam ut omittam ciuilis, humanæq; uitæ prudentes Viros hominibus auctores fuisse (prudentes autem uoco, qui in deliberando consilio ualent) Neque enim sine acri quadam ingenij ui, facultateq; ad deliberandum, resq; magnas & difficiles in coniectura positas, consilio expediendas prudentis nomen ab homine cæteris artibus & scientijs prædito obtineri potest, neq; te aut uero quenquam alium ab

hac ratione dissensurum puto; quippe qui agrestes homines syluisq; dissipatos unum in locum compulerint, ac mœnibus cinxerint; quodq; maius est, multorum officiorum, morum, iuris, legum societate copularint. Neq; enim hæc tanta tamq; multa beneficia a iurisconsultis habemus, siquidem Vrbibus iam institutis rebusq; humanis cõstitutis multo post tempore extiterint earũ legũ interpretes, quæ a deliberatione prudentiũ latæ erãt; ut etiam in hac ipsa legum utilitate longe præstantiores partes fuisse uideantur prudentiæ artisq; deliberandi; quæ eas inuenerit & crearit, quàm iurisconsultorum, qui eas tantum in priuatis rebus interpretantur. Sed tamen ut hæc omittam, Vrbibus constitutis quid præclarius inueniri potest, quid splendidius, quid claro ac magno uiro dignius, quàm recte deliberãdi facultas, in rebusq; humanis regendis, ac moderandis consilium? Etenim si ingenij ui, præstantiaq; quadam dignitatem rerum metiri placet, quid de omnibus rebus, quascunq; homines agunt cum hac conferri possit; quæ non in præteritis rebus iudicandis, aut æstimandis, neq; tam in præsentibus expediendis, quàm in futuris prouidendis uersetur? quæ res Diuinitatem quandam attingere uidetur. Si utilitatem sequare, quæ alia sciẽtia, ad deliberatiuæ artis, beneq; consulẽdi facultatem gloriam possit aspirare, quæ uniuersam Rempublicam, singulasq; eius partes ui & auxilio suo complectatur? Neq; enim sine deliberatione bella aut suscipiuntur, aut deponuntur; neq; ijs susceptis, sine ea exercitibus Imperatores præficiuntur; ijq; ipsi Imperatores, neq; iurisconsulti, neq; uero quiuis alij, sed qui plurimum deliberando, cosulendoq; ualeant, in primis quæruntur; quiq; omnes difficultates, quæ in bello administrando plurimæ quotidie incidunt, consilio possint expedire. Huius deliberati-

uæ facultatis est fines Imperij propagare, colonias deducere, Vectigalia augere, pacem, societates, amicitias, fœdera cũ exteris nationibus iungere; Ciuitates in ordines describere; quæ pacis & belli usus postulat comparare atq; expedire. Ab hac legationes decernuntur & obeuntur, magistratus creantur, honores mandantur, præmia distribuuntur, tota deniq; ipsa Respublica administratur; ut recte in Curia, qui locus deliberationi est attributus, dare operam Reipublicæ dicamur, in foro uero ubi iudicia exercentur, amicis. Quis igitur talem, tamq; præclaram facultatem, tamq; utilem, quæ uniuersam Rempublicam ui sua regat et moderetur non multis partibus, infinitoq; quodam interuallo iuris respondendi scientiæ ad priuatos tantum usus repertæ anteponat? Recte igitur priuatas controuersias, maleficiorumq; coercionem a Regibus ad iurisconsultos tractandas delegari uidemus; Homines uero deliberandi, consulendiq; scientia atq; usu præditos ad interiora consilia, ubi de summa Republica agitur, ac Reges ipsi intersunt adhiberi. Porrò cum ad bene deliberandum, ac de magnis rebus consulendum Philosophiæ opibus instruamur; ad omnesq; Reipublicæ partes præclare gerendas Philosophorum scripta nobis uiã communiant, quippe quòd nulla earum rerum, quas paulo ante commemorauimus, in deliberationem nostram cadat, de qua non a Philosophis multum & sæpe quæsitum sit & subtilissime disputatum; ius autem ciuile uestrum nullam partem obtineat ad nos ad eas res instruendos, idoneosq; faciendos, qui obsecro non conuenit primas potius deferre illis libris ex quibus ad tam præclaras res gradus nobis est factus, quàm illis qui nullum nobis aditum expediant? Equidem sic statuo quantum futurarum rerum prouidentia præteritarum iudicio, cu-

ria foro, Respublicæ priuatis honore sunt præferendæ; tanto in altiore dignitatis gradu Philosophorum scripta de ciuilibus rebus, quàm iuris consultorum libros esse collocanda. Præterea quæro ex te Antoni, quem tu de duobus medicis censeas præferendum, eum ne, qui arte & scientia sua prouidere possit, ne in morbum incidas, an eum, qui ea facultate careat, tamen cum in morbo sis, eo te liberare possit, & ab bonam ualetudinem perducere? Equidem puto te tanto pluris illum facturum quàm hunc, quanto præstantius est hominem a lapsu sustinere, quàm humi iacentem, sordibusq; ac luto iam fœdatum excitare. quæ res cum nostra Philosophiæ & iuris ciuilis comparatione similitudinem sanè habet, atq; adeo gemina penè est. Ea est enim in præceptis institutisq; Philosophiæ uis, ut ijs homines imbuti boni fiant, tantoq; et amore uirtutis et uitiorũ odio teneantur, ut assiduam curam adhibeant, ne qua in re ab honestate aut officio discedant, ne ue in aliquo contractu ius uiolent, sed in omnibus rebus iustitiam colant; temperati præterea & fortes atq; humanarum rerum & diuitiarum despicientes a Philosophia efficiuntur; eaq; cura in primis continentur, ne ulla uitiorum labes mentibus suis concipiatur; sic deniq; afficiuntur, ut uirtus, uitaq; cum honestate coniuncta sua sponte, neq; ullo alio præmio ipsis iucunda sit. quibus hominibus quid excogitari possit, aut Reipublicæ utilius aut humanæ societati aptius? At iuris Ciuilis uestri in hominibus bonis efficiẽdis nullæ sanè uel perexignæ sunt partes; quippe quòd homines uitiorum sordibus iam inquinatos fraudibus & fallacijs contaminatos, flagitijs & sceleribus coopertos, maleficijs et criminibus implicatos, pœna & supplicio a uitijs deterrere conantur; quas tamen pœnas sæpe perditissimi homines uel potẽ-

tia, uel astu effugiunt; ut ne satis quidem uirium leges habere uideantur ad homines a maleficijs & sceleribus reuocandos & ad honestam uitam traducendos. Extremum est, quod & in oratione a Sfondrato & a te in disputatione satis copiose tractatum est de utilitate. In quo non satis percepi sententiã uestram, nec satis teneo, quid uestra de ea ré statuat opinio, cum dicitis dignitatem rerum utilitate esse metiendam. Nam si ea est animi uestri sententia, nihil esse utile, quod non idem sit honestum, item nihil honestum, quod sit ab utilitate seiunctum, uobis assentior, quam rem inter grauissimos scriptores etiam constare uideo. Sed ex hoc non efficitur dignitatem rerum ab utilitate proficisci. Nam contra potius huic orationi eam subiectam esse notionem puto, eamq́; fuisse sapientissimorum uirorum sententiam, utilitatis parentem esse honestatem. at omnia honesta dignitatis nomen merentur, igitur non dignitas rerum ex utilitate, sed utilitas ex dignitate perpendetur. Quòd si aliter existimatis; atq; dignitatem filiam utilitatis facitis, quot absurda uobis sunt suscipienda? Nam si duo inter se litigantes te arbitrum Antoni capiant, qui pro cõmuni amico controuersias suas cognoscas, alterq́; eorum clam ad te mille aureos nummos afferat, rogetq́; ut accipias & iudicium a se feras, eos tu, si sapis, capias scilicet, ac secundum illum, quanuis iniquo sit iure iudices, functusq́; fueris boni uiri officio, remq́; te dignam feceris, siquidem honestatis & dignitatis mater est utilitas. Omnino ut tibi meam de ea re sententiam exponam, sic statuo rerum dignitatem ex honestate ponderari; primosq́; legum latores, cum aliquid faciendum imperarint, uel contra probibuerint, honestatem primum spectasse, cuius species diuinorum hominum mentibus natura Duce Deoq́; lu-

men

men præferente insidebat; hoc igitur honestum secutos; utilitatem uero nullo modo. quod tamen honestum legibus in primis propositum hominum utilitatem ui & natura sua cõtinet; neq; ab ea potest segregari. Ex quo efficitur quod iam dixi, de rerum dignitate, non ex utilitate sed ex honestate esse statuendum. Hæc ferè sunt quæ mihi pro Philosophiæ studio contra iurisconsultos ueniebant in mentem, quæ a uobis coactus exposui. neq; ulla causa est, cur ad ea nunc Antonius respõdeat; molesta enim iam est hæc disputatio, ut in aliud tempus differenda uideatur. Tum Antonius. Ego uero (inquit) pace id omnium uestrum fecerim, nunc responsurus sum. Neq; enim patiar ut ius ciuile ita uehementer a te Morone oppugnatum nũc cum maxime opus est, defensione careat; Nam si resciscant iurisconsulti me cum satis acer eorum defensor in hac comparatione fuissem, e pugna excessisse tum cum maxime præmebantur atq; in arcem eorum causæ inuadebatur, iure succenseant, cum præsertim id paucis facere possim. Ac ne longius faciam quod primum argumentum intulisti, rem quandam uniuersam esse Philosophiam ad omnes populos pertinentem, cum ius ciuile Europa tantummodo, neq; ea tota definiatur; ex eo ita facile me expedio. Neq; enim uerum est cæteros populos si iure hoc nostro Romanorum nequaquã utuntur, ideo iure ciuili omnino carere; suo enim illi iure utuntur. Etenim apud Turcas audimus adolescentes, qui liberaliter & ad spem splendidioris fortunæ, Reiq; publicæ gerendæ educantur, in hanc legum disciplinam & militarem præterea præceptoribus omnes dari; in iureq́; perdiscendo eorum operam complurium annorum occupari; Cumq́; apud illos fora & iudicia optime audiamus esse constituta; si apud eos hæc eadem comparatio inferatur, ea=

dem, quæ nos pro nostro iure, illi pro suo dicere scilicet poterunt. Deinde quam tandem uim istud tuum argumentum habet? Nam si ualet hoc, uniuersa quædam res est Philosophia totiq; orbi terrarum apta; At ius ciuile Europa terminatur; præferenda igitur Philosophia, eadem ratione Philosophiam Christianæ Religioni præferamus licet, quod quàm false quamq; impie dicatur omnes intelligunt. Apud nos quidem nihil diuinius, nihil maiore cultu dignum Religione nostra. ita & cæteri populi suam unusquisq; præ cæteris rebus Religionem colit ac ueneratur. An igitur cum nulla sit Religio, quam totus orbis terrarum colat; sed alia sit apud alios, idcirco ununquenq; populum minus conuenit suam cuiusq; Religionem uenerari; ac cæteris omnibus rebus infinito interuallo anteferre? quod idem in iure ciuili suscipere oportet, quod cum sit uarium pluresq; eius species sint, alioq; nos utamur, alio Turcæ, ubi optime illud constitutum est, ut est apud nos hoc nostrum; ibi Philosophiæ non minus est præferendum, quàm est à nobis nostrum in hac disputatione illi antelatum. quo fit, ut tuum primum argumẽtum corruat, ac penitus iaceat. Venio nunc ad illud quod pro facultate deliberãdi contra iudicialem scientiam intulisti, quod ita firmum putabas, ut non modo refutatu esset dificile, sed inanis cuiusdam ingenij ostentationis esse diceres quicquam contra illud tentare. Cui deliberandi facultati nihil mirum fuit te tantum tribuisse, cum in ea ita excellas, ut quampacissimos habeat ætas nostra, qui in ea re tecum sint conferendi. Vt enim omittam uitæ tenorem perpetuum & æquabilem a primis annis ad hanc usq; ætatem à te perductum ab omni uitiorum nõ modo contagione, uerum etiam pertenui suspitione puram atq; integram, atq; etiam ut omittam morum suauitatem ac lenita-

tem tuam ita ab omni asperitate abhorrentem, ut nullius homi nis iucundior sit congressus & consuetudo; ut etiam oculis so loq; aspectu summæ dignitatis pleno uultusq; amabili quadam hilaritate curas te adeuntium atq; in te intuentium animiq; molestias possis leuare planeq; discutere; ut igitur hæc ac cæte ras præclaras tuas uirtutes omittam, cum tu usum quampluri mis legationibus a prima adolescentia obeundis assiduaq; ma gnarum rerum tractatione es consecutus; atq; ad eam laudem peruenisti, ut cum singulari ac minime fucata tua probitate ac morum sanctitate summa prudentia coniuncta sit. In quibus rebus pronuntiandis cum Moronus sæpe Gallesium fuisset in terfatus, atq; ut is de se dicere omitteret orasset, et respondē do pergeret, Gallesius id mihi (inquit) in respondendo huic ra tioni usu uenturum spero, quod iaculantibus accidere solet. Vt enim cum in firmissimum murum telum intorquent, si leniter id & remisse faciant, murum nihil lædunt, ac telum dunta xat concidit; quòd si cum procursu, omniumq; uirium contētio ne telum quamconcitatissime emittant, murus quidem nihilo magis ab hoc læditur, quàm a languide emisso, sed ut illud tan tum cōcidit a muro repulsum, ita hoc ui & impetu suo, ictusq; grauitate retrorsum flectitur, uulnusq; quod alij intendebat, in emissorem ipsum sæpe infligitur. Ita tua hæc ratio, quæ cau sæ nostræ iugulum petere uidebatur, Philosophorum causam iugulatura est. Quod ut appareat, longa tu oratione ostende re nitebaris facultatem deliberandi, quam eandem prudentiā, & recte (in hoc enim tibi assentior) appellabas, arte iudiciali superiorem esse; cum summas et quamplurimas eius utilitates ornata & copiosa oratione collegisses. Vtebaris (ut dici so let) in re minime dubia testibus non necessarijs. Quis enim

audeat negare prudentem Virum, omniumq́; humanarum rerum moderatorem iuriſconſulto eſſe anteferendum? sed ut meam credo diſputationem eliceres, ſimulaſti te non uidere de alia re nobis inſtitutam eſſe quæſtionem; neq; ad ſermonẽ noſtrum quicquam hoc argumentum pertinere; quod ita planũ facio. Nam ut ſit prudens atq; in deliberando præſtans iuriſconſulto ſuperior, non tamen efficitur libros Philoſophorũ, qui ad res ciuiles pertinent, quiq; de rebus, quæ in deliberationẽ cadunt, diſputãt, iurisciuilis ſcientia præſtare. Neq; .n. ut eſt in Sfondrati oratione ſatis eſt de rebus præclaris tractare, ſed illud præterea neceſſe eſt; bene & perfecte tractare. Itaq; ſi Philoſophorum ſcripta idem efficerent in facultate deliberandi & conſulendi, quod iuriſconſultorum præcepta in iuſto & iniuſto cognoſcẽdo, rebusq́; iudicialibuu expediẽdis, manus darem. Nunc cum iuris ciuilis ſcientia ad res forenſes utiliſſima ac planè neceſſaria res ſit; Philoſophorũ contra diſputationes ad deliberandum, conſiliumq́; de rebus magnis, ac dubijs capiẽdum inutiliſſimæ, quis tanta erit ingenij imbecillitate, qui non ciuilis iuris ſtudium miretur, Philoſophos contra contemnat? quod ita eſſe manifeſte apparebit conſiderãtibus homines qui ius ciuile diligenter cognouerint, ita idoneos ab illo fieri ad cõtrouerſias iudicandas, ius & iniuriam in omni re cognoſcendum, ut mediocri ingenio uiri, ſi hac arte ſatis ſint inſtructi, cæterorum hominum quanuis optima ac ſplendida ingenia in rebus forẽſibus ſint ſuperaturi. quod quotidie cernimus. Neq; enim uiri præſtanti ingenio, magnoq́; rerum uſu præditi ad resq́; magnas et præclaras gerendas idonei, cũ aliquid inciderit, quod iuſtũ nec ne ſit dubitent; æquũ; an iniquũ cum quærẽdum eſt de hereditate, de contractibus, deq́; cæteris omnibus

rebus, quæ in hominum controuersias cadunt, indignantur ad iurisconsultum aliquem hominem imbecillo alioqui forte ingenio (ut multos quotidie uidemus) accedere; eiusq; consilio uti; illiq; se in ijs rebus regẽdum permittere, neq; tantum sibi assumũt, ut non sibi iurisconsultum in iure et iniuria in unaquaq; re cognoscenda anteponant. quòd si forte occurratur splendida illa hominũ ingenia melius fortasse iudicatura fuisse, si sui arbitrij res esset, quàm illum ipsum iuris ciuilis scientia instructum; nunc prohiberi, quòd legibus parendum sit, facile respondeo. Primum proiectæ esse temeritatis quenquam hominem tãtum ingenio suo dare, ut legum latoribus uiris sapientissimis, tamq; infinitæ iurisconsultorum multitudini, qui per tot secula omnem ætatem suam consumpserint in eiusmodi rebus quærẽdis, idq; tandem assecuti sint, ut ad perfectissimam artem hoc studium perduxerint, iudicium suum anteponere? Deinde si legibus parendum est, legum autem præceptorum tam infinita sit multitudo, ut ad eam doctrinam cognoscẽdam, hominis ætate opus sit; nõ uideo quid de iurisconsultorum gloria detrahat, eam artem illos tenere, qua necessario omnibus hominibus utendum sit, etiam si sibi reliqui homines uideantur aliquid se in aliqua re melius fuisse constituturos, quàm iurisconsulti; quaq; arte cum cæteri careant illi necessario sint de rebus forensibus, a uiris sapientissimis adeundi. Confer nunc contra Philosophorũ disputationes; ac uideamus, an qui quæcunq; ab illis dicũtur, cognouerit, eorũq; preceptis abundet, is euadat, ad quem cum de magnis & publicis rebus deliberatio inciderit, præstanti ingenio uiri, ac rerum usu præditi adeant; quosq; de magnis ac dubijs rebus consulant; quos ue Principes in consilium adhibeant. Nam uidemus quotidie cum magna aliqua

causa in foro agitatur, Bononiam, Patauium & ad reliqua publica Gymnasia ab ijs, quorum res agitur, mitti, ut responsum eorum, quorum nomē in hac iuris ciuilis scientia paulo clarius est, habeant; illud ad iudices de scripto afferre, iudices illud sequi; tam diligenter, tamq; præclare ars hæc ab ijs, qui illam tradiderunt, fuit exculta. Age contra cum de aliqua magna re deliberatio incidit, quem tandem Principem, quem ue populum uides ad eadem Gymnasia mittere, qui de dubia re claros Philosophos consulant; ac non potius peritos homines, in rebusq; gerendis uersatos accersire, quodq; illi consilium dederint, sequi? Atqui si Philosophorum disputationes, quæ ad deliberationem pertinent, præclaræ quædam res sunt, si deliberantibus lumen aliquod præferunt, si deniq; eam utilitatem habent, quam de te audio, ac non potius inanem quendam uerborum splendorem, id efficere debent in deliberatione, rebusq; publicis in Curia tractandis, quod iuriscōsultorum scripta in rebus forensibus expediendis sunt assecuta. Cum præsertim dubitandum non sit, quin homines quemadmodum in rebus forensibus iurisconsultorum opem non recusant, atq; adeo se illis regendos permittunt; ita si ullam uiam ad magnas res administrandas, in rebusq; dubijs ad optima consilia capienda, planam & expeditam Philosophorum quæstiones patefacerent, ad Philosophos consulendos in rebus dubijs, quæ quotidie usu ueniunt, accessuri fuerint; quodq; sibi Philosophi ea doctrina qua ualeant, lumen præferrent id intueri fuerint rem facturi. Quo fieret, ut quemadmodum iurisconsultorum præceptis instructi in foro dominantur, ita eundem Dominatum, qui Philosophorum disputationes & doctrinam perdidicissent, in Curia (quod maius profecto est) & apud populum et apud Prin

cipes obtinerent. Quòd ſi occurratur id fieri Principum & Populorum ac Senatorum culpa & inſcitia, qui ea arte in magnis rebus adminiſtrandis non utantur, quam ipſi ignorent; nil reſponſu facilius. Neq; enim ſi in forenſibus rebus iuriſconſultorum doctrina homines utuntur, quam ne ipſam quidem cognoſcunt; in ueſtiendo textore; in ædificando architecto; in fundo colendo Agricola; in naui agenda Gubernatore, quas omnes artes pariter ignorent, putandum eſt Philoſophorum operam in rebus magnis gerendis, conſilijſq; capiendis fuiſſe aſpernaturos. Nihil eſt enim a ratione alienius, quàm putare omnes homines in re tam magna, tamq; neceſſaria tantam opẽ ſibi aut per ignorantiam, aut per arrogantiam inuidere; cum in rebus mediocribus ac minimis ad artifices earum rerum accedere etiam ſummi Reges non dedignentur, modo in ea arte ſit aliquid auxilij, ex quibus rebus planè apparet, aliud eſſe deliberandi facultatem, quæ in præclaris uiris ineſt, aliud de eadẽ re ſcripta Philoſophorum quanuis loquacia. Vt enim ad prudẽtium uirorum, in conſulendoq; præſtantium gloriam nulla res de humanis poteſt aſpirare, ita inanes Philoſophorum de eiſdẽ rebus diſputationes, aut nullo, aut perexiguo honore dignæ ſunt. Deinde quid opus eſt tam multis uerbis cum Ariſtoteles ipſe, quem tantopere iſti mirantur, in libro qui eſt de moribus ferè fateatur, prudentiam, quæ nihil aliud ſit, quàm recta quædam ratio rerum gerendarum neq; doctrina tradi, neq; perdiſci poſſe. idem autem eſſe prudentiam atq; uim & facultatem quandam in deliberando, a te ipſo Morone ſumo, qui eas eandem rem eſſe paulo ante affirmaſti, idq; rectiſſime, neq; hoc ab Ariſtotele eſt abhorrẽs; qui hanc deliberandi facultatẽ, quam artem βουλευτικὴν, ſiue εὐβουλίαν uocat, partem, ſpe

ciemq́; quandam faciat prudentiæ; quam prudentiam dicat esse rerum singularium;ita enim appello τὰ καθ᾽ ἕκαστα, eumq́; prudentem esse, qui singularia teneat, quippe quæ in actionem cadant; Porrò cum singularium neq; scientiam esse, neq; doctrina ea percipi posse, quod infinita sint, mille locis dixerit, nonne aperte ex Aristotelis scriptis elicitur prudentiam hancq; εὐβουλίαν de qua instituta est nobis disputatio, quæ est prudentiæ pars, & species & quidem primaria, neq; a Philosophis, neq; uero a quibusuis aliis posse perdisci? Quid ergo? inutilia planè sunt tot diuina Platonis & aliorũ scripta? Dabo tibi aliquid facere; idest eos qui ijs sint instructi ornatiores reddere, atq; ad differendum de rebus ciuilibus cũ dignitate quadam aptiores. In qua tamen etiam re semper illud tenebo primas esse, longeq́; maiores Historicorum partes; sed quid est tãdem hoc præ iurisconsultorum libris, qui artem & quidẽ perfectam & planam de forensibus rebus tradiderint, atq; eam, quam si quis mediocri aut uero minus etiam quàm mediocri ingenio præditus perdidicerit, excellentium uirorũ (ut diximus) præclara ingenia in ea re sit superaturus? Ars autem hæc est eiusmodi, ut illa magna ex parte Respublicæ & Regna contineantur, quod neminem negaturum puto. Quid si doceo in hac ipsa deliberatione maiores esse utilioresq́; partes iuris Ciuilis quàm Philosophorum disputationum? Hic Sighicellus. Hoc uero Morone (inquit) optimum, ut maiora adiumenta habeamus a iure ciuili arte planè externa (est enim tota forensis, ut Gallesius non inficiatus est) quàm ab ijs scriptis quæ deliberationis sunt propria? Tum Antonius. At Sighicelle (inquit) ut mirari desinas multa alia esse eiusmodi, a Cicerone discere licet, qui oratoriæ laudis, quam est assecutus maiorem se gratiam Aca

demicorũ

demicorum & peripateticorum disputationibus habere fate tur, quã ipsis Rhetorum libris. Atqui proprij sunt artis dicendi Rhetorum libri, quiq; oratorem efficiunt, Philosophorũ uero disputationes præ Rhetorũ præceptis extrinsecus accitæ dici possunt. Vt igitur ostendam, quod intendo, Nego ullam ferè de rebus magnis deliberationẽ incidere, quæ iurecõsulto et quidem magnopere non egeat. Etenim cum quæritur quid ex re atq; ex usu Reipublicæ sit; dubiaq; res in consultatione uersatur, illa semper ferè consideratio in deliberationes incurrere solet, ius ne sit an iniuria, hoc uel illud consilium sequi. In Senatu Venetorum deliberatur, Cæsaris ne an Gallorum partes sequi utile sit; Annexa est ex hac deliberatione ea consideratio, ius ne sit alterum relinquere, alterum sequi; an ullo fœdere teneantur; an ullius societatis iure alteri sint alligati. Bellum decernendum alicui populo, aut Regi, utile est (inquit) Consulẽs; At considerãdum, num etiam iustum; fœdus cum aliquo ineundum; societas; amicitia iungenda; adhibendus est iurisconsultus; ne in alquos captionum laqueos in fœderibus scribendis incidamus. Deniq; si omnes Reipublicæ partes circũspexeris, nulla ferè res incidet, in qua iusti et iniusti consideratio uel in primis nõ sit necessaria. Qui igitur iusti & æqui, iniusti et iniqui artẽ teneat, quale ille quantumq; in rerum publicarũ cõsultatione momentum faciet? Quare quid magis afferre quod contra uos faceret potuistis, cum in hac ipsa deliberatione uideatis in omnibus ferè rebus iurisperitos adhiberi, Philosophorũ præceptis instructos excludi? Equidem sic statuo; bene consulendi artem, iuris scientiæ societate destitutam, mancam quandam rẽ esse; atq; altero crure claudicantem. Sequitur quod de Medicis dixisti; quorum ille tibi præstantior uidebatur, qui eam artem

teneret, qua prouidere poßet, ne homines in morbū inciderēt, quàm eum, qui ſanitatem reuocare poſſet in homines morbo iam correptos; ſimilemq́; illius Philoſophiam feciſti, huius legū ſcientiam. Cui argumento a Sfondrato ſuperius abunde eſt reſponſum, cum de legum laudibus diceret. demonſtrauit. n. homines nulla alia re magis bonos fieri, quàm bona educatione; bonæ autem educationis legum latores auctores fecit; rationemq́; ſuam cum rationibus; tum innumeris, clariſq́; exemplis confirmauit. Quod uero ad extremum de utilitate attuliſti; in quo nō ſatis tibi perſpectam eſſe dixiſti noſtrā de ea re ſententiam, nihil ē explicatu facilius; nulluſq́; locus eſt, quem melius poſſim tueri; meq́; ex omnibus laqueis expedire. Duo enim genera utilitatis pono, publicam alterā, alteram priuatam; priuatam uoco, quam unuſquisq́; in priuatis rebus ſuis ſequitur, nullam publicam utilitatem reſpiciens; nullā ciuilis huius ſocietatis rationē habens. rebus. n. priuatis noſtris eſt accommodata; nec quicquā ad Rempublicam pertinet, quam priuatā utilitatem dignitatis aut honeſtatis matrē nullo modo facio; uigentq́; in hac ea argumenta & ſimilitudines de iudice corrumpendo, quas tu Morone propoſuiſti; Quin potius ſtatuo hanc ab honeſtate ſeiunctā neminem ſanctum aut magnum virū ſequi debere; Sordidi. n. et quæſtuarij hominis eſt propter hanc utilitatem in aliqua re officium deſerere; ullum ue ſcelus committere, aut dedecus admittere. quo fit, ut apud probos & honeſtos uiros honeſtatis filiam utilitatem eſſe oporteat; hoc eſt nullam utilitatem perſequi, quæ ab honeſtate ſit ſeiuncta; illudq́; primo ſpectare cum aliquid ipſis agendū proponitur, honeſtum ne illud ſit, quod ſi honeſtū eſſe putauerint, tum utile etiā putare. Atq́; huc transferri poſſunt omnia, quæ de pulcherrima hac honeſtatis et uti-

litatis societate a multis scripta sunt. Altera ē publica utilitas, quam eandē sempiternā utilitatem appello, ut dignitate, ita natura hac priuata utilitate priorem. ea nullius priuatæ utilitatis ratione habita; priuatorumq; cōmodorum oblita, humani generis conseruationem, ciuilisq; soccietatis concordiam, quasi altera quædam natura spectat. Hanc dignitatis (ut dicebam) honestatis, officij, decori, parētē facio. nihilq; statuo in legibus condendis sapientissimos illos uiros spectasse, neq; uero spectare potuisse, quàm uniuersam hanc utilitatem idest hominum cōcordiam, humanæq; societatis conseruationē; quibus rebus nihil hominibus est utilius; Vt recte Aristoteles dixerit legum latores non tam iustitiam quàm hominum concordiam propositam habere; nihil. n. opus esse iustitia, si homines sine illa inter se concordiam colant; Nunc cum ciuilē societatem sine ea uirtute tueri non possint, huius causa iustitiam inductam esse; ut appareat iustitiam ab hac hominum utilitate procreatam fuisse, qua re nihil uerius dici potest. Quod omnia, quæ legislatores induxerunt circunspecienti liquido apparebit. Etenim iustitiam, temperantiam, fortitudinem, fidem, ueritatem, multaq; alia hoc præclaro uirtutis nomine decorarunt; contraria contra uitij appellatione inuisa fecerunt; quid ita? nulla alia de causa, quàm quod utile est hominibus illa sequi; hæc fugere. conseruatur. n. ab illis humana societas, ab his funditus tollitur. qua enim alia de re cædes, rapinæ, furta, fraudes, fallaciæ, falsa testimonia, adulteria, grauissimis pœnis sunt hominibus interdicta; quiq; ijs rebus sunt inquinati, eos nefarios ac sceleratos homines uocamus quàm quòd si hæc homines impune admittant, nec legibus ab ijs prohibeantur, nihil ipsis accidere possit inutilius, nullumq; maius damnum sit accipiendum? quip

pe quòd cōtinuo ominum rerum perturbationem, humanæq; societatis dissolutionem existere necesse sit; hominesq; se se mutuis odijs, rixis, cædibus, ad humani generis internitionem uexare atq; conficere. Quoniam igitur utile est hominibus concordiam & hanc ciuilem societatem tueri; inutile contra eam infringere, ac labefactare & dissoluere, omnia quæcunq; ad illā conseruandā pertinent, specioso hoc uirtutis nomine sapientes legum conditores hominibus commendarunt; A contrarijs, in quibus humanæ societatis dissolutio inest, inuisa illa uitij appellatione homines deterrere sunt conati; quiq; uirtutis essent studiosi, eos probos, sanctosq; uiros appellandos esse decreuerunt; qui uitium sequerentur, nefarios ac perditos uocandos. Ex hoc fonte honestum, decorum, pulchrum, dignitas orta est. Ex eodem inhonestum, indecorum, turpe, indignitas proficiscūtur. Quod si libet dicere sanctissimis legum latoribus mētem diuinitus datam, ut quod honestum esset, cognoscerent, illudq; hominibus faciendum præscriberent. Primum quis hoc de ea mente diuinitus immissa cuiquam narrauit? Deinde longe elegantius, & ad ueritatem apertius dicere possumus (neq; hoc piæ opinioni quicquam detrahit) eam mentem a Deo legum latoribus datam ut hanc hominum utilitatem intelligerent, ad eamq; omnia accommodarent, ac decreta sua referrent. Nam ne cogitatione quidem, si mentem penitus in eam deieceris, fingi potest; aliud quàm hāc utilitatem legislatoribus in primis fuisse propositam. Qua.n.alia ratione, si quis id inficietur, docere possumus iustitiam recte uirtutem esse constitutam, atq; ex eo genere rerum esse, quas homines sequi debeāt, quàm quòd utilis est & necessaria ciuilis societatis conseruationi, quam societatem iniustitia contra euertat ac tollat? Item

fortitudo; quam quòd periculis fortiter, atq; intrepide adeundis tuetur hanc societatem? Idem de temperãtia dicendum est, quæ docẽdis hominibus, ut ab alienis rebus manus & cupiditatem abstineant, concordiam hanc seruat. idem de cæteris rebus dici potest. Quòd si quis dicat, honestum primo spectasse legislatores; instabo ut exponat, quid sit hoc honestum, ac quomodo illud cognoscere legislatores potuerint, publica hac utilitate detracta. nam cum inceperit honestum definire, insequar ego & insectabor, hominemq́; premam; quæramq́; semper rationem, eóq; perducam illũ uel inuitum, ut cogatur fateri publica hac utilitate ius, uirtutem, honestumq́; inuẽtum fuisse. Atq; ego intelligo magnos, & præclaros uiros, excellentiq; ingenio præditos, quanuis in disputatione uincantur, difficile tamen manus dare, quòd ab hoc utilitatis nomine uehementius abhorreant, quod parum splendoris habere existiment. quam rem eo errore credo faciunt, quod priuatæ illius utilitatis, quam sordidam sæpe rem esse, sæpeq́; honestati repugnare confessi fuimus, similitudine nominis capti, mentem & cogitationem ab ea abducere non possunt, atq; ad præclaram illam utilitatem uirtutis & honestatis parentem contemplandam transferre. Hæc ferè sunt Morone, quæ mihi contra rationes tuas ueniebãt in mẽtem. In quibus an uobis satisfecerim nescio. Mihi quidem magnopere satisfacio. Tum Moronus diuinabam (inquit) sermonẽ meum longam disputationem posse excitare. Itaq; nisi coactus a uobis fuissem, tacuissem sanè. Neq; nunc consilium est, cum multa responderi possint, quicquam addere, ne res ad noctem extrahatur. Hic cum omnium silentium factum esset, diesq́; iã in uespertinum tẽpus inclinata esset, surreximus omnes. Atq; ego ecquid inquam Morone memoria tenes, cum munera inter

me & Gallesium partireris, dixisse te meum mihi quoq; pensum in his disutationibus assignaturum: quas igitur mihi partes reseruasti? Vt horum (inquit) sermonum commentaria cōficias. neq; enim res ulla splēdior, aut grauior in hominū quæstionem & disputationem cadere potest, neq; quæ maiora postulet orationis ornamenta. Ego uero (inquam) si mihi otiū dabitur, libenter obsequar uoluntati tuæ, si tamē prius clarissimorum uirorum, omniumq; uirtutum & doctrinæ gloria præstātium, Ioannis Petri Carrafæ Riginaldi Poli, Marcelli Ceruini & Rodulphi Pij Cardinalium de ijs rebus sententiam cognouero. Et Moronus optimum istuc (inquit) feceris Folieta. Neq;.n. ijs uiris quenquam statuo uel doctrina, uel usu rerum de ijs rebus melius existimare posse. Etenim ut Polum omittā, qui satis hodie a nobis est laudatus Ioannes Petrus, & Marcellus ea sunt prudētia, ea in rebus percipiēdis, ac iudicādis acerrima ingenij ui, ut nullius hominis mihi aut in hac, aut in ulla magna re grauius sit iudicium et auctoritas. grauissimos nunc ac sanctissimos utriusq; mores ad seueritatem propensos prætereo, singularem probitatem & integritatem; in Republica gerenda cuius illis maximam partem summus Princeps cōmisit, diligentiam fidem, constantiam. ut in eorū uirtute, sapiētia, laboribus summum sit sacerdotali Republicæ præsidium & ornamentum. De quibus rebus cum magnopere Morono omnes assensi essemus, equos inscendimus, ad urbemq; iter cepimus, multaq; inter nos in itinere uario assensu sumus collocuti.


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm